



Pr. 48. Num. 26.

1754, /

14

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
SVCCESIONE AB INTESTATO
LIBERORVM NATVRALIVM ET SPVRIORVM
IN BONA MATRIS EIVSQVE COLLATERALIVM
IVRI STATVTARIO HAMBVRGENSI
NON ADVERSANTE

QVAM
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
G E O R G I O I I I

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGE
DEFENSORE FIDEI
BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCE
S. R. I. ARCHITHESAVRARIO ET ELECTORE
RECTORE GEORGIAE AVGVSTAE MAGNIFICENTISSIMO

INCLYTI ORDINIS IVRIDICI AVCTORITATE
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES RITE
CAPESSENDI

PVBLYCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
GEORGIVS ANCKELMAN
HAMBVRGENSIS

A. D. III. MARTII MDCCLXIV.

GOETTINGAE
EX OFFICINA POCKWITZ-BARMEIERIANA.



17. 10. 1858

DEUTSCHER VEREIN
ZUR
FÖRDERUNG
DES
HUMANITÄTENSINNES
UND
GEBILDETER
MENSCHLICHKEIT


VEREINIGUNG DER
FÜR DEN
HUMANITÄTENSINNE
UND
GEBILDETER
MENSCHLICHKEIT
INTERESSIRTEN

VEREINIGUNG DER
FÜR DEN
HUMANITÄTENSINNE
UND
GEBILDETER
MENSCHLICHKEIT
INTERESSIRTEN

VEREINIGUNG DER
FÜR DEN
HUMANITÄTENSINNE
UND
GEBILDETER
MENSCHLICHKEIT
INTERESSIRTEN

VEREINIGUNG DER
FÜR DEN
HUMANITÄTENSINNE
UND
GEBILDETER
MENSCHLICHKEIT
INTERESSIRTEN

VEREINIGUNG DER
FÜR DEN
HUMANITÄTENSINNE
UND
GEBILDETER
MENSCHLICHKEIT
INTERESSIRTEN



SACRI ROMANI IMPERII
LIBERAE REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS
SENATVI SPLENDIDISSIMO
VIRIS
PERILLVSTRI BV S, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS,
CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS,
PRAENOBILISSIMIS, PRVDENTISSIMIS
CONSVLIBVS
SYNDICIS
SENATORIBVS
ARCHIVARIO
PROTONOTARIO
SECRETARIIS
ARCHIVARIO ADIVNCTO
PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS

RELIGIONIS PARITER AC LIBERTATIS PROPVGNATORIBVS
VIGILANTISSIMIS
SALVTIS PVBLICAE STATORIBVS
MERITISSIMIS
SCIENTIARVM COMMERCIORVMQVE PROMOTORIBVS
FELICISSIMIS
PATRONIS ATQVE MAECENATIBVS SVIS
INDVLGENTISSIMIS
SVMMA PIETATE AC OBSERVANTIA IN AETERNVM
COLENDIS
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
INTER ARDENTISSIMA
PRO
TANTORVM VIRORVM
LONGAeva INCOLVMITATE
VOTA
VENERABVNDVS
OFFERT

AVCTOR
GEORGIVS ANCKELMAN



DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

SUCCESSIONE AB INTESTATO
LIBERORVM NATVRALIVM ET SPVRIORVM
IN BONA MATRIS, EIVSQVE COLLATERALIVM
IVRI STATVTARIO HAMBVRGENSI NON
ADVERSANTE.

§. I.

INSTITVTI RATIO.



e jure liberorum illegitimorum nonnulli qui-
dem ex instituto commentati sunt Jureconfulti,
inter quos praecipue nominare licet: GABR.
PALAEOTTVM a), BENED. DE BARCIS b),

LV-

a) in tractatu: de nobis spuris que
filij,

b) in tractatu: de filiis non legiti-
me natis,

A

LVDOV. A SARDIS *c*), PONTAN. HEVTERVM *d*), IO. LV-
 PVM *e*), FRID. HOTTOMANNVM *f*), GODOFR. LVDOV. MEN-
 CKENIVM *g*), FERD. AVG. HOMMELIVM *h*), ABRAH. KAEST-
 NERVVM *i*), IOA. SAM. STRYCKIVM *k*), et IOA. GODOFR. KRAV-
 SIVM *l*): sed hi omnes paternam solummodo ex instituto ex-
 posuerunt successione; maternam vero vel prorsus inta-
 ctam reliquerunt, vel breviter saltim attigerunt. Quum igitur,
 absoluto studiorum meorum cursu, specimen aliquod
 edendum sit, *successionem ab intestato liberorum naturalium et*
spuriorum in bona matris, ejusque collateralium exponere,
 mecum constitui. Quod ut ordine procedat, prius CAP. I.
de successione tum legitimatorum, tum illegitimorum in genere,
 breviter quaedam proferam, deinde vero CAP. II. *successio-*
nem liberorum naturalium et spuriorum in bona matris, ejus-
que collateralium ex triplici jure, nimirum Romano, Germa-
nico et Statutario Hamburgensi plenius explicabo.

§. 2.

e) in tractatu: de naturalibus liberis,
 eorumque successione.

d) in tractatu: de liberis naturalibus.

e) in tractatu: de matrimonio et le-
 gitimatione. Hi tractatus junctim editi
 sunt in TOMO VIII. ET IX. Tractatus
 tractatum in utraque tum Pontificii
 tum Caesarei juris facultate Jurisconsul-
 tortum. Venetiis 584. fol.

f) in dissert: de spuris et legitimacione.

g) in dissert: de successione liberorum

naturalium in NOV. XVIII. c. 5. et
 NOV. LXXXIX. c. 12. fundata, ad
 spurios non pertinente.

h) in progr: de successione spuriorum
 secundum NOV. LXXXIX. c. 12.

i) in progr: an spurius ex bonis pa-
 tris defuncti sextantem petere possit?

k) in dissert: de liberis naturalibus
 Regum et Principum.

l) in progr: de eo, quod jure Ro-
 mano circa liberos naturales iustum est.

§. 2.

LIBERI ILLEGITIMI QVI ET QVOTVPLICES SVNT?

Liberi extra matrimonium nati, *illegitimi* audiunt, dividunturque in *naturales*, *spurios* et *ex coitu damnato genitos*, hique posteriores, in *adulterinos* et *incestuosos* m). *Naturales* appellantur liberi ex concubinato procreati. Est vero *concubinatus* n) unius masculi liberi soluti cum unica foemina soluta minus sollemnis conjunctio, exercendae libidinis gratia inita. *Spurii* seu vulgo *quaesiti* o) e contrario sunt illi, qui patrem demonstrare non possunt, vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet. *Adulterini* nominantur liberi ex adulterio nati; *incestuosi* denique illi, qui ex concubitu, cum personis sanguine aut affinitate in gradu prohibito junctis, nascuntur. Hos omnes hodie p) legitimari

m) Veteres plures quidem liberorum illegitimorum constituerunt species nimirum: *varios*, *manzeres*, vulgo *quaesitos*, *nefarios*, e *stupro* natos, *facriligos*, *notbos*, *hybridas*, *bastardos* &c. uti videre licet ex PONTAN. HEVTERI tractat. alleg. c. VII. n. 3; sed hi omnes facile in tres illas species, a nobis allatas, contrahi possunt.

n) L. I. §. 1. et 3. ff. de concub. 3. l. C. cod; NOV. XVIII. c. 5. et

NOV. LXXXIX. c. 12. §. 4. Consult. GE. ZACH. WINCKLER. in *differt. de genuino concubinaris ex mente legum Romanarum conceptu*. §. 5.

o) L. XXIII. ff. de stat. hom.

p) De jure Civili naturales seu ex concubina nati tantum legitimari poterunt §. fin. Inst. de nups; L. X. c. de natur. liber; NOV. EXVII. c. 2; non vero spurii arg. d. NOV; multo minus liberi ex coitu damnato geniti. NOV. LXXXIV. c. ult.

4 §. 2. LIBERI ILLEGIT. QVI ET QVOTVPL. SVNT?

mari posse, legitimationemque duplici q) potissimum modo fieri, inter omnes constat. In CAPITE igitur I. Dissertationis nostrae, et quidem in SECTIONE I: *de successione tam per subsequens matrimonium quam per rescriptum principis legitimatorum* agamus: SECTIONE autem II: *successionem liberorum non legitimatorum* pertractemus, et quidem ita, ut primo, quid *de successione liberorum ex coitu damnato procreatorum* justum sit, explicemus; postea vero *de successione naturalium in bona patris*, et an hodie abrogato concubinato juris Romani dispositio adhuc obtineat, disseramus.

CA-

c. ult. Hodie autem abrogato concubinato et spurios legitimari posse, cum quotidiana praxi edocemur, testantibus HAHN *ad WESENB. tit. ff. de his qui sui n. 2*; BACHOV. *ad tit. ff. de adopt.*; MATTH. STEPHAN. *ad NOV. CXVIII. n. 22*, quis erit, qui de eo dubitet? Incestuosos vero et adulterinos nec hodie quidem per modos ordinarios, sed tantum per dispensationem *arg. c. 13. x. qui filii sunt legit.* legitimari posse, constat: sed re vera inter hanc dispensationem et legitimationem nullum adest discrimen, cum et legitimatus et dispen-

satus tantum solummodo juris conferatur, quantum Princeps ipsi concedere voluit. LVDOV. *us. pract. distinct. jur. L. 1. r. 6. dist. 4.*

q) Olim enim et illegitimi curiae offerri, eoque legitimi reddi poterunt; cujus vero legitimandi modus hodie sublatu est. Copiose atque docte de hac legitimationis specie earumque effectibus commentatus est: *Consult. IOA. WUNDERLICH. Gymnastii Patrii Professor celeberrimus, in libro singulari: de legitimazione per oblationem curiae.*

CAPVT I.
DE SVCCESIONE TAM LEGITIMATO-
RVM, QVAM ILLEGITIMORVM
IN GENERE.

SECTIO I.
DE LEGITIMATORVM SVCCESIONE.

§. 3.

LEGITIMATI PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM QVO-
MODO SVCCEDANT?

Legitimantur liberi per subsequens matrimonium, si nuptiae cum matre legitimandorum, cum qua et tempore conceptionis matrimonium consistere potuit, intercedunt *r*); proceditque talis legitimatio et in ipso mortis articulo *s*), nec obstat, quod pater intermedio tempore aliam duxerit uxorem, et ex illa liberos procreaverit *t*). Pertinet vero huius legitimatiois species ad solos liberos ante nuptias editos;

con-

r) L. X. C. de nat. lib; NOV. XII. c. ult; NOV. LXXXIX. c. 8.

noviss. not. 3. BACHOV, ad TREVTL. VOL. II. diff. 16. 1b. 2. lit. a.

s) arg. L. XI. C. de nat. liber; Ill. BERGER. in oecon. jur. pag. 110. edit.

t) Ill. COCCEJ. in jur. civ. contrrov. L. I. tit. 6. qu. 12; GAIL. L. 2. Observ. 141. n. 4.

6 CAP. I. SECT. I. DE LEGITIMATORVM SVCCESIONE.

concepti enim tantum, matrimonioque constante demum editi, ipso jure legitimi sunt *a*). Taliter legitimatis omnia liberorum legitimorum jura competunt, et nullum inter hos et eos, qui ex initio justis nuptiis procreati sunt, discrimen apparet *x*). Haec enim legitimatio, cum retrotrahatur ad momentum nativitatis *y*), omnem absorbet maculam, efficitque, ut liberi, ante matrimonium nati, pro vere legitimis habeantur. Hinc non solum sunt de domo et agnatione paterna *z*), insignibusque gentilitiis ac paternis utuntur *a*); sed etiam patri, tam a testato quam ab intestato, cum fratribus ante vel post legitimacionem ex justis nuptiis natis, ipso jure succedunt *b*), testamentumque paternum, si in illo praeteriti sunt, nullum reddunt. Sic quoque ad aliorum agnatorum et cognatorum successionem secundum proximitatem gradus admittuntur *c*); cumque in Statutis sub nomine

a) L. XI. C. de nar. lib; Ill. BERGER. l. c. not. 1.

x) §. 2. INST. de hered. quae ab intestat; L. X. C. de nar. lib; NOV. XII. c. ult; NOV. XVIII. c. ult; NOV. LXXIV. c. 1; NOV. LXXXIX. c. 8; c. 6. X. qui filii sine legit.

y) quia ab initio maritalis affectus jam adfuisse praesumitur. Ita enim habet L. X. C. de nar. lib: Neque enim verisimile est, eum qui postea vel dona-

tionem vel dorem conscripserit, ab initio zalem affectum circa mulierem non habuisse, quae tam dignam esse uxoris nomine faciebat.

z) DECIVS Consult. 437. n. 19.

a) TIRAQVEL. de nobilitate c. XV. n. 21.

b) L. X. XL. C. de nar; NOV. XII. c. ult; NOV. LXXXIX. c. 8.

c) REYNCK. in tractatu: de retractu consanguinitat. QV. II. n. 287.

derer vollen und wofürbärtigen Brüder veniant *d*), et fratres uno tantum latere junctos excludunt *e*). Haec vero omnia de successione in bonis allodialibus solummodo extra omne dubium sunt posita. Quod enim ad feudalem attinet successionem, an ad eam quoque liberi per subsequens matrimonium legitimitati admittendi sint, ob generalem locutionem *textus II. FEVD. 26. §. naturales f*), valde dubitatur. Affirmant illud quidem plurimi *g*), jus feudale interpretationem extensivam ex jure Communi admittere, ideoque verba generalia *textus II. FEVD.*, ubi de legitimitatis per rescriptum Principis tantummodo sermone esse credunt, non obstare, statuentes; cui opinioni et praxis hodierna nonnullis in locis assentiri videtur *h*). Sed contrariam sententiam, quam et legum et consuetudinis auctoritate suffulti, doctissimi etiam propugnarunt viri *i*), pra-

d) MEVIVS ad jus Lubecens. l. II. r. 2. art. 9. n. 62. et in Decis. p. III. decis. 87.

e) STRYCK. de S. A. I. DISS. III. §. 2. §. 40.

f) Naturales filii, licet postea stant legitimi, ad successionem feudi nec soli nec cum aliis admittuntur.

g) GAIL. l. c. n. 2; MYNSING. c. v. Observ. 42. n. 1. §. 3; ROSEN-

THAL. de Feudis c. VII. c. 18. n. 1. §. 3;

STRYCK. de S. A. I. DISS. I. c. 3. §. 27. §. 3; STRVV. S. I. F. C. IX. §. 3,

n. 2; VVLTEJ. de Feudis l. I. c. 9. n. 93; Consult. PETERSEN in diss. de legitima hereditaria successione th. 15. et SCHNEIDER. in diss. de successione legitimatorum in feudis. §. 5.

h) MYLER. AB EHRENB. in gemolog. person. Imp. Illust. c. XXIV. §. 2. §. 3; ITTER. de Feudis Imperii c. XIV. §. 2. §. 3; LEYSER. Spec. 298. Medis. 6.

i) Ill. AYRER. in progr. de exclusionem legitimatorum a successione feudali; BAVER. in diss. de success. legitimator. per

8 CAP. I. SECT. I. DE LEGITIMATORVM SVCCESIONE.

praefendam esse puto; cum jus Commune in subsidium solummodo adhiberi possit, et igitur hic, ob claram generalemque juris Feudalis dispositionem, merito exulet.

§. 4.

QVANDO ET A QVIBVS ILLEGITIMI PER RESCRIPTVM PRINCIPIS LEGITIMARI POSSVNT?

Jus Legitimandi per rescriptum Principis est potestas Imperantis subditos, qui vitio natalium laborant, legitimos efficiendi *k*). Hic legitimandi modus ab Imperatore JUSTINIANO demum fuit introductus *l*); antea enim illegitimi per subsequens matrimonium et per oblationem curiae legitimari solummodo potuerunt. Ad hanc vero legitimatorem, ut fieri posset, varia Imperator desiderabat requisita. Quodsi enim mater legitimantis adhuc in matrimonium duci posset, liberique legitimi exstarent; haec legitimatio, quae in subsidium tantum introducta erat, non procedebat *m*). Haec vero omnia hodie tam sollicitè non observantur, quia Princeps legibus est solutus, et haec requisita, ex suprema, qua

per nuptias exule in feudis; Perill. PVFENDORF. in *Obs. Jur. Univ.* T. I. *Obs.* 90; MASCOV. *de jure Feud.* c. x. §. 5; Ill. BOEHMER. VOL. III. P. I. *resp.* 167. AB ANDLER. in *jurispr. publ. et priv.* L. II. tit. 30. §. 14. *sq*; et Perill. L. B.

A SENCKENBERG. in *prim. lin. jur. Feud.* P. II. c. 11. §. 106.

k) LVDOV. A SARDIS in *tract. alleg.* c. XIV. n. 1.

l) AVTH. *praeterca c. de nat. lib.*

m) AVTH. *cit.* NOV. LXXXIX. c. 1.

pollet, potestate, tollere potest n). *Olim* in Imperio nostro Romano Germanico *soli Imperatori* o) competebat haec legitimandi facultas; qui illam vel mediate, per Comites nempe Palatinos p), vel ipse immediate exercebat. *Hodie* vero, quia omnibus et singulis Imperii Statibus superioritas territorialis concessa, paceque Westphalica q) confirmata est; tam *Principes Imperii* r) quam *Civitates Imperiales* s), vi hu-

jus

n) III. AYERER. in absolutissima *disserat. de legitimatione per rescriptum Principis plenissimum effectum tribuente, legitimi licet liberi exent.* §. 4.

o) BOCER. *de regalibus* c. II. n. 68. sq. LIMN. *de Jur. Publ.* L. II. c. IX. n. 140. IOA. SAM. STRYCK. in *dissert. alleg.* §. 19.

p) Si de potestate Comitum Palatinorum pristinis natalibus restituendi, quousque illa se extendat, quaeritur, inspicienda erunt eorum privilegia, et ex his quaestio illa decidenda. Haud enim omnibus Comitibus Palatinis eadem, sed uni major, alteri minor haec in re concessa est potestas. CRIM. *de Jur. Liberor.* SECT. XIII. c. 2.

q) INSTR. PAC. OSNABR. ART. VIII. §. 1.

r) SCHWEDER. in *Jur. Publ.* PART. SPEC. SECT. II. c. 10; LIMN. *loc. cit.* L. IV. c. 9. n. 142; MYLER. AB

EHRENB. *de Princip. et Statib. Imp.* C. XIV.

s) Putat quidem M. H. GRIENER. in *dissert. de jure legitimandi Principum Imperii* §. 2, non omnium Statuum parem esse circa Regalia potestatem, ac Principibus Imperii plurima jura non tantum qua Statibus sed et qua territoriorum dominis competere; ideoque Civitatibus Imperii jus legitimandi prorsus denegare studet. Sed Imperii Civitatibus idem circa legitimationem jus, quod Principes Imperii sibi vindicant, competere, firmiter mihi persuasum habeo. Liberae enim Imperii Civitates sub appellatione Statuum Imperii indubitate contineantur I. P. O. ART. V. §. 29, superioritasque territorialis omnium et singulorum Imperii Statuum, sive potentium sive minus potentium, una eademque est. Conf. Illustr. IOA. STEPH. PÜTTER. in *elem. jur. publ. Germ.* §.

B

292

jus superioritatis concurrente hac in re cum Imperatore gaudent auctoritate. Haec tamen inter legitimationem Imperatoris et eam, quae a Statibus Imperii fieri solet, intercedit dif-

292. Hinc etiam in I. P. O. ART. VIII. §. 4. expresse cautum reperitur: *Libertis Imperii Civitatibus non minus quam ceteris Statibus Imperii - - - rata et intacta maneat regalia, vestigalia, redditus annui, libertates, privilegia aliaque jura &c.* Licet igitur in Civitatibus Imperii, qua Statibus minoribus, non ita frequentes dantur singuli superioritatis territorialis actus, quam in Electoribus et Principibus: tamen ille valde erraret, qui hanc ob causam ullum jus, quod Status majores vi superioritatis territorialis exercent, intuitu Civitatum Imperialium in dubium trahere vellet. Conf. Illustr. WILDVOGEL in *diff: de superioritate territoriali Civitatum Imperialium*. Nullo igitur fundamento nec legitimandi potestas illis denegari poterit. Exemplum ejusmodi rei, qua a Civitate Imperiali vi superioritatis territorialis talis, legitimitio exercita fuit, haud ita pridem existit HAMBURGI: *Vir quidam celebris, ad vitae usque exitum caelebs, cum foemina ex honesta familia oriunda procreaverat filiam. Hanc in alia civitate laure*

educari, originem tamen sollicitè eam celari curaverat. Morti proximus filiam hanc naturalem, cujus mater jam diu e vita discesserat, heredem scripsit, simulque AMPLISSIMUM SENATVM HAMBURGENSEM rogavit, ut SUPERIORITATIS JURE legitimam eam declararet. Defuncto patre naturali heres ab intestato successura dispositionem hanc paternam impugnavit, tam legitimam variis ex causis, quam successioni testamentariae hoc imprimis ex capite contradicens, quod Jus Statutarium Hamburgense nomini de bonis hereditariis contra heredum consensum restari permitteret. Transactione medianibus Dnis Commissariis inita, sopita est haec controversia. Quo facto SENATUS HAMBURGENSIS, ad preces extrajudicialiter oblatas M. L. cum Dnis Curatoribus Supplicantis, die x. Jan. 1755 ita decrevit: daß Supplicantin auf ihr gezeigtes mündes Ansuchen, und den mit der Frau M. H. L. gebornen L. als einzigen Erbin ab intestato weyland Herrn C. L. M. D. et P. errichteten und per Decretum vom 11. Nov. a. praet.

differentia: ut illa in toto Imperio, haec vero non ultra Statuum territorium *t*), nisi ad hoc speciale Imperatoris Statui Imperii concessum sit privilegium *u*), suos producat effectus.

§. 5.

praet. confirmirten Commissions-Vergleich, als des bemeldten Herrn D. und P. L. Tochter zu declariren, und nunmehr dieselbe dergestalt anzusehen, als ob sie von bemeldten Herrn D. L. aus rechter und wahrer Ehe gezeuget, auch in dieser Stadt und deren Gebiete von männiglich dafür zu achten, mithin die jura einer ehelichen Geburth zu genießen fähig; jedoch daß dieselbe, zufolge der in bezugten Commissions-Vergleich enthaltenen Bedingnisse, an den ihr zugelegten Theil der Verlassenschaft ihres Herrn Vaters, als auch mit dem ihr zugestandenen Gebrauch dessen Nahmens sich begnügen lasse, hingegen des L*** Wapens sich gänglich enthalte, auch an die in der L*** Familie über kurz oder lang fallende Erbschaften überall kein Recht noch Anspruch zu haben befugt sey.

t) Contendit quidem M. H. GRIBNER, in *diff. alleg.*, legitimationem a Principibus Imperii factam, etiam extra ipsorum territorium effectum producere, idque magis ex necessitate quam hu-

manitate: quia, quod inter diversas Respublicas aequitas suadeat, inter Principes Imperii utilitas ac necessitas communis, ne perpetuis contentioibus et retorsionibus locus sit, imperet. Quamvis autem GRIBNERO lubentissime largiri possim, quod ex humanitate haec legitimitio effectus extra territorium producere possit; tamen, ex necessitate idem statuendum esse, ipsi haud concedam; cum jura, quae Statibus Imperii competunt, territorii terminos non egrediantur, omniaque statuta et beneficia personas habitantia ultra Statuentium territorium haud extendantur. Conf. SCHWEDER, in *Irrod. Jur. Publ. PARTE SPECIAL.* s. II. c. 16. n. 8; THOMASIVS ad STRAVCHIVM, DISS. IV. ad *ib.* 11. n. 5; DE RHEZ, in *Inst. Jur. Publ.* L. II. Tit. 9. §. 11; TITIVS in *Jur. Priv.* L. VI. c. 13. §. 4; GAIL, L. II. Obs. 124. n. 11; MEVLVS ad *Jus Lubec.* L. II. Tit. 2. art. 10. n. 37; IOA. GEO. SIMON, in *tract. de jurisdictione territoriali Statuum Imperii* c. II. §. 7.

u) STRYCK, in V. M. ff. L. III. c. §. 14.

§. 5.
DE LEGITIMATIONIS PER RESCRIPTVM PRINCIPIS
RATIONE SVCCESIONIS EFFECTIBVS.

Et hic legitimandi modus plenissimos ratione successio-
nis in bonis allodialibus producit effectus *x*): dummodo tem-
pore legitimacionis non adfuerint liberi ex justo matrimonio
nati, legitimatioque patre adhuc vivente *y*) facta sit. Licet
enim postea legitimi superveniant liberi; legitimatis tamen jus
suietatis atque successiois, per legitimacionem semel legitime
acquistum, iterum auferri nequit *z*). Agnatis autem pro-
ximis hac legitimacione praejudicari posse, cum in subsidium
demum ad hereditatem vocantur, nullus quidem dubito *a*).
Quodsi vero tempore legitimacionis legitima patris exstat
proles: legitimati per rescriptum Principis patri nec a testato
nec ab intestato succedunt *b*); nisi in legitimacionis rescripto
clausula non obstantibus liberis legitimis adjecta sit, quo ta-
men in casu et legitimi liberi legitimam hereditatis partem
foli

x) NOV. LXXIV. c. 2; NOV. LXXXIX.
c. 9; STRYCK. de S. A. I. DISS. I.
c. 2. §. 7. 2.

y) Possunt quidem et ipsi illegitimi
Principem adire, legitimacionemque
vel ignorante vel mortuo patre petere:
tunc vero ad solam maculae natiuitatis
extinctionem hoc fruuntur adiutorio;
nisi illos forsitan pater legitimos suos

heredes esse voluerit, quod in casu, si
Principis confirmatio accesserit, perinde
habetur, ac si legitimatio vivo patre fa-
cta fuisset. NOV. LXXIV. c. cit; NOV.
LXXXIX. c. 10.

z) GAIL. L. II. *Observ.* 142. n. 5.

a) STRYCK. l. c. §. 45.

b) NOV. LXXIV. c. cit. *in fine*; NOV.
LXXXIX. c. 9.

foli nanciscuntur c). Ceterum hos legitimatos ad feudalem regulariter non admitti successionem, cum agnatis jus succedendi vivente adhuc vasallo per investituram simultaneam tacite acquisitum fuerit, dubitari haud poterit d).

SECTIO II.

DE NON LEGITIMATORVM SVCCESIONE.

§. 6.

LIBERI ADVLTERINI ET INCESTVOSI AN VLLO MODO SVCCEDERE POSSINT?

Liberi adulterini et incestuosi nullo nec agnationis nec cognationis iure tam ratione patris quam matris fruuntur, sed omnibus in rebus prorsus pro extraneis habentur e). Hinc non solum a paterna sed et a materna tum a testato tum ab intestato arcentur successione f); nulloque modo testamentum

ma-

c) CARPZOV. P. II. C. 6. def. 27; STRVV. in S. I. C. EX. III. 1b. 55; STRYCK. l. c. §. 74; LVDOV. doct. Pand. L. I. tit. 6. §. 10.

d) III. AYRER. diff. alleg. §. ult. et progr. alleg. p. 5; GAIL. L. II. Observ. 140. n. 9; VVLTEJ. DE FEVDIS. C. IX. n. 93; STRVV. in S. I. F. C. IX. 1b. 3. n. 8.

e) arg. NOV. LXXXIX. c. 15.

f) AVTH. ex complexu c. de incest. nups; AVTH. licet c. de nar. lib. Et haec juris Romani dispositio aequitati quam maxime est consentanea et haud pro poena habenda; cum nec ipsi legitimi liberi, secundum juris Naturalis principia, quicquam praeter alimenta a parentibus petere possint. Conf. PVFENDORF. de iur. Nar. et Genz. L. IV. C. XI. §. 7.

14 CAP. I. SECT. II. DE NON LEGITIMAT. SVCCESIONE.

maternum (nam de paterno plane dubitari nequit) si in illo praeteriti sunt, impugnare possunt *g*). Ex eadem ratione nec sibi invicem succedunt, nec ad aliorum agnatorum et cognatorum successionem admittendi sunt *h*). Utrum vero nec alimenta ipsis debeantur, an alendi sint; non aequè est expeditum. Jure quidem Civili res decisa est: secundum quod, si naturales tantum excipiamus, omnes reliqui illegitimi alimentis indubitato privantur *i*). An autem jure Canonico idem obtineat, ob *cap. 5. x. de eo qui dux. in matrim.*, merito dubitatur. Licet enim nonnulli singularem in hoc caplatitare casum, ejus decisionem ad adulteros et incestuos haud extendendam esse, sumant *k*): tamen mitiorem sententiam, cum et aequitatis *l*) et salutis publicae *m*) ratio illud postulet, praefendam esse puto. Valde vero ab illis dissentio, qui sub his alimentis lautiora simul comprehendunt alimenta. Haud enim requiritur, ut pro conditione patris aut matris alantur: sed sufficit, si ea solummodo illis prae-

g) STRYCK, de S. A. I. DISSERT. I.

c. 2. §. 57.

h) NOV. LXXIV. *c. fin.*

i) d. AVTH, ex complexu *C. de incest. nupt.*; d. NOV. LXXIV. *c. fin.* et NOV. LXXXIX. *c. fin.*

k) Conf. LYNCKER. in *Comment. ad Decret. L. IV. T. VII. §. 4.*

l) Alias enim misera et innocens proles ob parentum delictum fame periret, parentesque ipsi cum incestus vel adulterii delicto crimen infanticidii adhuc conjungerent, cum et illi necare videntur, qui alimenta denegant. L. IV. ff. de alend. vel agnosceud. liber.

m) Ne Respublica onere illos alendi gravetur.

CAP. I. SECT. II. DE NON LEGITIMAT. SVCCESIONE. 15

praebentur, quae et ad vitae sustentationem et ad victum
quaerendum necessaria sunt. Patrem autem in subsidium de-
mum, matre vel mortua vel inopia laborante, ad illa prae-
standa adigi posse, non est, quod moncam n).

§. 7.

AN LIBERI NATVRALES ET SPVRII PATRI, FRATRIEVS
CONSANGVINEIS ET AGNATIS PATERNIS
SVCCEDANT?

Quodsi pater ab intestato decedat, liberosque legitimos
vel uxorem legitimam relinquat: liberis naturalibus alimenta
quidem ex ipsius bonis suppeditantur, sed nulla ratione patri
succedere queunt o). Et non tantum a liberis ex iusto ma-
trimonio natis, sed etiam ab adoptivis et legitimatis ab hoc
successionis commodo arcentur p): cum et hi liberorum le-
gitimorum nomine veniant, hisque praerogativa quaedam
prae illis merito debeat. Nec quicquam prodesse poterit
naturalibus, quod legitimi liberi paternam repudiaverint he-
reditatem, quia et in hoc casu a defuncti uxore repelli pos-
sunt

n) Conf. RICHTER, in *expos.* AV-
THENTIC. COD. SECT. III. m. 3. n. 3.

o) NOV. LXXXIX. c. 12. §. 4.

p) AVTH. licet c. de nar. lib; NOV.
XVIII. c. 5; NOV. LXXXIX. alleg. l. cit;
ubi notandum, quod naturales omni le-

gitima sobole non exstante ad successio-
nem demum admitti posse dicuntur;
quibus verbis et adoptivi et legitimi
procul dubio comprehenduntur. Conf.
FRANZK. in *Comment.* ad *Inst.* L. III.
TIT. I. c. 7. n. 7.

sunt *q*). Melior autem eorum conditio est, si pater sine uxore legitima, nec liberis legitimis relictis decefferit: quo casu non solum alimenta naturalibus debentur, sed etiam patri in sextantem hereditatis *r*), sive in duas uncias, cum matre concubina dividendas *s*), ab intestato succedunt. Hoc vero solummodo obtinet, si omnino indubitatus est et concubinae in domo affectus, et liberorum ibidem proles *t*). Hinc soli naturales hoc fruuntur beneficio, non aequè spurii, qui, si jus Romanum sequi velimus, ne quidem a patre alendi sunt *u*). Praeterea hoc successione commodum ad liberos primi duntaxat gradus restringitur; illis enim deficientibus nepotes, sive naturales sive legitimi sint, ad avi vel proavi paterni successionem non admittuntur *x*), exceptis alimentis, quae his perinde ac illis debentur *y*). Ex testamento autem naturalibus, si legitimi liberi adsint, una uncia, si parentes testatoris supersint, octo unciae, sin utrique deficiant, tota hereditas relinqui potest *z*). Spurio contra, dum patrem non

q) PALAEOTT. in *lib. alleg. c. 38.*

r) AVTH. *licet c. de nat. lib;* NOV. XVIII. c. 5. NOV. LXXXIX. c. 12. §. 4.

s) Si plures existant liberi naturales, concubina duarum unciarum non unam totam, sed virilem tantum partem consequitur. Conf. MENCCK. in *diff. alleg. §. 5.*

t) NOV. LXXXIX. c. 12. §. 4. 5.

u) §. IV. INST. de *succ. cogn.*

x) L. ult. c. de *nat. lib;* CARPZOV. *decif. CLXVII. n. 9;* PALAEOTT. in *lib. alleg. c. cit.*

y) PALAEOTT. in *lib. alleg. c. cit.*

z) AVTH. *licet c. de nat. lib;* NOV. LXXXIX. c. 12. *Illust. BOEHMER. in introd. in jus digest. L. XXVIII. TIT. V. §. 3;* LVDOVICI in *doctrina pandect. L. XXVIII. TIT. V. §. 5.*

non habere videntur a), ab omni testamentaria excluduntur successione. Denique nec naturales nec spurios, cum omni agnationis jure destituantur b), vel fratribus consanguineis vel agnatis paternis succedere posse, in dubium trahi haud poterit.

§. 8.

QVID HODIE ABROGATO CONCVBINATV RATIONE SEX-
TANTIS, QVEM LIBERI NATVRALES OLIM ACCE-
PERVNT, IVRIS SIT?

Jam §. praecedente monuimus, spurios, cum patrem habere non videantur, patri nec a testato nec ab intestato succedere posse. Hodie vero *concubinatus*, jure aequo naturali c) quam civili d) olim licitus, tam *jure Canonico* e) quam

Re-

a) L. XXIII. de stat. hom.

b) L. IV. ff. unde cognat; GAIL. L. 2. Observ. 88. n. 20.

c) Concubinatum, cum nec proles eo incerta redditur, nec ejus educatio impeditur, jure Naturali licitum esse, non quisquam facile dubitabit.

d) tot. tit. ff. de C. de concub; L. V. c. ad Scr. Orph; NOV. XVIII. c. 5; NOV. LXXXIX. c. 12. §. 4. Imperator LEO quidem in NOV. XCI. concubinatum prorsus improbavit; sed cum hujus Imperatoris Novellae ne quidem

ejus aetate in Occidente obtinuerint, nec postea cum jure Justiniano receptae sint, ita et nullius apud nos auctoritatis sunt. Conf. CVJACIUS in *Observat.* L. XVII. *Observ.* 31; THOMASIVS in *diff. de concubinatu* §. 13. not. 6. e) c. audire clarissimi 6. *dist.* 34; c. nemo 4. XXXII. qu. 4; c. 1. de concubinariis in LIBR. VII. DECRET. LIB. V. tit. 16; Illust. GEORG. LVDOV. BOEHMER. in *principiis juris Canonici* T. III. S. II. tit. 2. §. 405; et LYNCKER. in *Comment. ad Decret.* L. I. TIT. XVI. §. 7.

C

Recessibus Imperii f) prohibitus est, eoque magis haec concubinaria consuetudo quam simplex fornicatio damnanda habetur, quo diuturnius in ea peccatum. Cum igitur differentia illa, quae inter naturales et spurios olim obtinebat, hodie sublata sit, quid *ratione sextantis*, qui liberis naturalibus, uti §. *praecedente* explicavimus, liberis legitimis non exstantibus, competeat, statuemus? An hodie et spurii hoc beneficium indulgebimus, an omnibus tam naturalibus quam spurii illud denegabimus? *Alii g)* prius, *alii b)* posterius affirmant; utrique vero sententiam suam argumentis praepudiciisque firmare student. Qui hanc successionem nec naturalibus nec spurii concedendam esse putant, his utuntur argumentis: Sublata causa, tolli etiam ejus effectum; nec damnato jam concubinato et pro impudico habito, eandem obtinere posse successionem, quae ob probatum et pudicitiae nomine venientem olim obtinuerit. Iis enim *JVSTINIANVM* hoc solummodo sanxisse, ubi indubitatus sit et concubinae in domo affectus et liberorum ibidem proles; cum-

f) REFORMAT. POLIT. IMP. de no. 1530. TIT. XXXII, de no. 1548. TIT. XXV. et de no. 1577. TIT. XXVI. §. 1.

g) Conf. ABRAH. KAESTNER. in progr. alleg. §. 113; F. A. HOMMEL in progr. alleg.; LEYSER. SPEC. CCLVI. med. 11, 12; STRYCK, de S, A, I. DISS.

I. c. 2. §. 53; BERGER. in *Oecon. Jur.* pag. 346. nor. 7; CARPZOV. DECIS. CLXVII. n. 17 sq; PHILIPP. in *usu pract.* T. LIB. III. eclog. 25. n. 9. b) Perill. PFENDORP. in *Observ. Jur. Univ.* T. I. Obs. 89. et T. II. Obs. 49; MENCK. in *diff. alleg.* et WINCKLER. in *diff. alleg.* §. 32.

cumque caste tantum viventibus non vero luxuriantibus hanc praeuisse legem. Cum igitur nostris moribus nec concubinam nec liberos naturales habere liceat; ea etiam, quae de naturalibus *jura Justiniana* disposuerunt, non magis usum hodie habere posse, quam quae olim de manumissionibus, de libertinis, de servis, (qui hodie itidem ignorantur) jus Romanum statuerit. Qui vero et spurii hanc successionem hodie indulgendam esse contendunt, haec adducunt argumenta: Concubinatum quidem jure hodierno prohibitum esse, sed ratione successionis nihil legibus Imperii expresse mutatum. Nulla igitur privationis lege lata, licet naturales pro spurii hodie habendi sint; successionem tamen hanc, semel legitime ipsis concessam, sine legum auctoritate auferri haud posse. *JUSTINIANVM* praeterea spurios ob patrem tantum incertum ab hoc successionis emolumento arcere. Quodsi igitur de patre spuriorum constaret, nec illis quidem successionem illam hodie denegandam esse; cum cessante legis ratione, cessare etiam debeat legis dispositio. Accedere adhuc, quod spurii liberis naturalibus per omnia fere hodie exaequentur, cum et alimentorum commodum et legitimae beneficium, solis naturalibus olim concessum, ad illos quoque indubitato extendatur. Haec sunt potissimum argumenta illa, quae ab utraque parte ad tuendam sententiam suam in medium proferuntur, et quamvis posterius acquitati magis consentaneum esse existimem; tamen eo lubentius be-

ne volo lectori hujus rei decisionem relinquam, cum nec proprie thefin nostram attingat, nec meum iudicium in re tam ardua, a *doctissimis viris* ab utraque parte agitata, aliquid ponderis addere poterit.

§. 9.

VLTERIOR TRACTANDI RATIO.

Sed sufficient haec qualiacunque de successione tam legitimatorum, quam illegitimorum in genere a nobis prolata. Jam CAPITE II. *successionem ab intestato i) liberorum naturalium et spuriorum in bona matris ejusque collateralium* pertractabimus. Hoc vero ordine procedemus: ut prius in SECTIONE I: tum naturales tum spurios in bona matris ejusque collateralium succedere posse, ex *Juris Romani* principii evincamus; postea autem SECTIONE II: quid *Jus Germanicum* hac in re vel consentanei vel contrarii statuit, adducamus et denique SECTIONE III: *Jus Statutarium Hamburgense* circa hanc successionis materiam dispositioni *Juris Romani* contrarium non esse ostendamus, cui etiam coronidis loco, ne soli nobis sapere videamur, *casum* haud ita pridem in *Judicio superiori Hamburgensi ventilatum*, una cum ejus decisione subjungamus.

CA =

) Testamentariam enim successionem, cum ab instituto nostro aliena sit, hic prorsus praetermittamus.

CAPVT II.

DE SVCCESIONE AB INTESTATO LIBE-
RORVM NATVRALIVM ET SPVRIORVM
IN BONA MATRIS EIVSQVE COLLA-
TERALIVM.

SECTIO I.

QVID IVS ROMANVM HAC DE RE STATVAT.

§. IO.

EX SENATVSCONSVLTO ORPHITIANO NATVRALES ET SPV-
RII MATRI AB INTESTATO SVCCEDVNT.

Cum in matre omnis ille respectus, qui ratione patris ver-
fabatur, cessat, illaque nunquam incerta esse potest *k*),
tam naturales quam spurii intuitu matris omni liberorum le-
gitimorum jure gaudent. Licet igitur intuitu patris nulla
nec agnationis nec consanguinitatis jura ipsis competant *l*):
tamen et matris et conjunctorum per lineam maternam co-
gnati existunt, omnique cognatorum jure indubitato fruun-
tur *m*), *Leges quidem duodecim tabularum* nullam cognato-
rum

k) L. V. ff. de in jus voc.

l) §. IV. INST. de succ. cogn; L. IV.
ff. unde cogn.

m) §. IV. cit. INST. de succ. cogn;
ubi expresse cautum reperitur: *Vulgo
quaesitos nullos habere agnatos manife-
stus*

rum in successione habebant rationem, duosque duntaxat ordines heredum ab intestato faciebant, suorum scilicet et agnatorum *n*). Hinc hoc jure non solum naturales et spurii, sed etiam legitimi liberi ad matris maternorumque cognatorum successione haud admittebantur, uti nec mater *o*) et reliqui cognati ipsis succedere ullo modo potuerunt. Praetor vero primo, aequitate motus, hunc juris Civilis rigorem emendavit, tertium ordinem introducens *p*), quo omnibus cognatis, quos sanguinis ratio ad hereditatem vocabat, ad sextum usque gradum per bonorum possessionem *q*) illam de-

stum est, cum agnatio a patre sit, cognatio a matre: hi autem nullum patrem habere intelligantur — Tanquam ergo cognati sunt sibi, sicut et matri cognati sunt. Itaque omnibus ea parte competit bonorum possessio, qua proximitatis nomine cognati vocantur. Conf. GALL. L. II, Obs. 88, n. 20. et Obs. 115, n. 11.

n) Conf. HEINEC. in *Syntag. antiq. Rom.* L. III, tit. 5; VINNIVS in *Comm. ad Inst.* L. III, tit. 4, §.

o) Nisi in manum mariti convenisset: tunc enim eodem erat loco, quo filiafamilias, adeoque et filiis tanquam agnata succedebat, HEINEC, *loc. alleg.* L. III, tit. 1, §. 5.

p) VINNIVS in *lib. alleg.* h. c.

q) Bonorum possessio est jus persequendi retinendique patrimonii siveret, quae cujusque, cum moritur, fuit. L. III, §. 2, ff. de bon. poss.; dividiturque in ordinariam et extraordinariam. Extraordinaria legibus, Senatusconsultis, Constitutionibus Principum vel jure novo descendit; cum e contrario ordinaria a Praetore primo introducta fuit, quem postea Proconsules alique magistratus Provinciales secuti sunt. Conf. HEINEC. in *historia eictorum* c. VIII. Quamquam enim Praetor heredes, quod solius legis erat, facere haud potuit: tamen indirecte bonorum possessores effecit, qui in omnibus vice heredum haberentur. L. II, ff. de bon. poss. Haec bonorum possessio ordinaria

deferri permetteret. Postea etiam *Senatusconsulto Tertulliano* ^{r)} cautum est, ut mater liberorum ab intestato mortuorum hereditatem caperet ^{s)} uti per contrarium liberi ex *Senatusconsulto Orphitiano*, paulo post Tertullianum condito ^{t)}, ad bona matrum intestatarum admittebantur ^{u)}. Vocantur

autem

ita iterum erat vel edictalis vel decretalis, quarum utraque vel ex testamento, vel ab intestato, aut cum re aut sine re, dabatur. Octo autem capita bonorum possessionis ab intestato exstabant, quorum primum: unde liberi, secundum: unde legitimi, tertium: unde decem personae, quartum: unde cognati, quintum: tanquam ex familia, sextum: pro patronis, septimum: unde vir et uxor, et octavum: cognati maternissoris, indito nomine a verbis initialibus capitum edicti, vocabatur. Ex his Imperator JUSTINIANVS tertium, quintum et octavum prorsus sustulit, reliqua autem in *Digesta* referri iussit. Conf. VLP. *Fragm.* xxviii. 7. apud SCHVLTING. p. 672.

^{r)} Quo autem tempore hoc *Senatusconsultum* confectum sit, an HADRIANI an vero ANTONINI PII temporibus, valde dubitatur, quamquam cum HEINEC. in *Synag. antiq. Rom.* l. III. tit. 3. §. 4. prius affirmandum esse puto. Quamvis enim HADRIA-

NI temporibus nullus in FASTIS occurrat *Consul TERTVLLIVS*, tamen illud obstare haud poterit, cum illa aetate plures jam eodem anno successi fuerunt *Consules*, quorum rarius mentionem faciunt *Fasti Consulares*. Certe illud dubitari haud poterit, hoc *Senatusconsultum* Orphitiano esse antiquius. Cur autem matri prius quam liberis consultum sit, haec ratio esse potest: quod mater, si vellet, per testamentum pietatis officio satisfacere posset, id quod liberis saepe propter aetatem haud permissum erat.

^{s)} *ror. tit. INST. ff. et c. de SCR. Tertull.*

^{t)} Hoc *Senatusconsultum* tempore Imperatorum ANTONINORVM AVRELII et COMMODI, VERTIO RVFO et CORNELIO SCIPIONE ORPHITIO *Consulibus*, a. u. c. CMXXX, conditum fuit. Conf. HEINEC. *lib. alleg.* l. c.

^{u)} *ror. tit. INST. ff. et c. de SCR. Orphis.*

autem ex Senatusconsulto Orphitiano non tantum liberi ex justo matrimonio nati et legitimated, sed etiam naturales et spurii ad matris defunctae hereditatem x). Nec obstat, quod matris legitimi existant liberi, quia et cum illis naturales aequae ac spurii in materna successione aequaliter concurrunt y). Exceptio tamen est ratione spuriorum, quando mater sit illustris; quo casu, si legitimi liberi adsint, spurii matri succedere nequeunt z). In matre enim illustri spurios nominare satis foret injuriosum atque acerbum, justique liberi cum spurii concurrentes macula quadam adspargerentur. Quodsi vero mater illustris prole legitima careat, spurii ad successionem admittuntur a); sicut nec matri nobili, licet legitimi liberi adsint, succedere prohibentur b). Haud enim in legum interpretatione ab illustribus ad nobiles argumentum duci poterit: cum illi, qui in jure illustres vocantur, longe majo-

x) §. III. INST. de SCr. Orpbit; L. pen. c. ad SCr. Orpbit; PAVLVS in *receptis sententiis* L. IV. tit. 10. 1. apud SCHVLTING. p. 418; GEO. ADAM. STRVV. in *Jurispr. Rom. Germ. Forens.* L. II. tit. 30. §. 9.

y) L. pen. c. ad SCr. Orpbit; FORSTER. de *hereditatibus quae ab intestato deferuntur*. L. VI. c. 11. n. 1; STRYCK. de s. A. I. DISS. I. c. 11. §. 52; HILLIGER. in DONELL. L. IX. c. 2.

z) L. pen. c. ad SCr. Orpbit; FOR-

STER in *lib. alleg.* L. VI. c. 48. n. 3; BRVNNEM. in *Comm. ad Cod.* L. VI. tit. 57. ad *leg. alleg.*

a) FORSTER. in *lib. alleg.* l. c; GABR. PALAEO. in *lib. alleg.* c. 4. n. 3; HILLIGER in DONELL. L. IX. c. 2. lit. f.

b) BRVNNEM. in *Comm. ad ff.* L. XXXIIX. tit. 8. ad *leg. 4*; HVBER ad INST. L. III. de *succ. ab intest.* §. 7. in *fine*; DAVID MEVVS in *Decisio-* nibus P. II. *decis.* 83.

maiores muneris dignitatem olim sustinuerint, quam hi, quos hodie nobiles vocamus. Ad feudalem denique quod attinet successionem, naturales et spurios matri in feudo, licet novo et materno, succedere posse, ob expressam juris Feudalis prohibitionem c), haud quisquam facile affirmare audebit.

§. II.

EX EDICTO VNDE COGNATI ETIAM AVIAE RELIQUISQVE ASCENDENTIBVS SVCCEDVNT.

Quoniam lege duodecim tabularum ne quidem liberi matri ab intestato succedere potuerunt; multo minus nepotes ad aviae maternae successionem admittebantur. Postquam autem Praetor omnibus cognatis, qui Jure Civili successionis commodo destituti erant, bonorum possessionem indulserat d); nepotes etiam intuitu aviae maternae hoc beneficio frui coeperunt. Et licet postea ex Senatusconsulto Orphitiano liberis tantum non vero nepotibus consuleretur e); tamen illud Principum Constitutionibus emendatum fuit, ut ad similitudinem filiorum filiarumve, et nepotes et neptes ad aviae hereditatem vocarentur f). Tandem JUSTINIANVS omnes

c) II. Feud. 26. §. naturales. d) cor. tit. INST. de succ. cogn.; cor. tit. ff. unde cogn. e) §. I. INST. de SCR. Orphit.; HEI-

REC. in Syntagm. antiq. Rom. l. III. tit. 4. §. 6; VINNIVS ad INST. l. III. tit. 4. §. 1. f) L. IV. c. THEODOS. de legit. hered.

omnes cognatos legitimos heredes effecit g), adempta agnatis praerogativa, quae his prae illis olim compete-
 bat. Hinc cognati non magis quam agnati Praetoris auxilio indigent; atque ut olim soli agnati, ita et hodie cognati ipso jure omnibus ascendentibus ab intestato succedunt. Haecque omnia, intuitu matris maternaeque lineae ascendentium, non tantum in legitimis liberis, sed etiam in naturalibus et spuris h) obtinent: quia et illi cognatorum numero continentur i), jusque novum omnes cognatos sine distinctione legitimos heredes declaravit. Quamvis igitur edicto unde cognati expressa cautum non sit, naturales et spurios avo quoque materno ab intestato succedere posse, cum L. VIII. ff. unde cogn. k) aviae solummodo mentionem faciat: tamen, quia tanquam cognati l) ad aviae maternae hereditatem vocantur, et avi maternae aequae ac aviae maternae cognati existunt m), etiam

red; §. cit. INST. de Scr. Orpbir; L. IX. C. de suis et legit. hered; HILLIGER in DONELL. L. IX. C. 2. lit. b; BRUNNEMAN, in Comm. ad C. L. VI. tit. 57.

g) NOV. CXVIII. C. 1.

h) Nisi avia reliquiae ascendentes illustres sint, et nepotes vel pronepotes legitimos habeant: his enim concurrentibus, nec spurios ad successionem aviae reliquorumque ascendentium hodie admittendos esse, verius esse puto. Li-

cet enim L. V. C. ad Scr. Orpbir, de materna successione solummodo loquatur; tamen ex identitate rationis argumentum satis concludens inde et ad aviam reliquosque ascendentes deduci poterit.

i) §. IV. INST. de succ. cogn.
 k) Modestinus respondit, non ideo minus ad aviae maternae bona ab intestato nepotes admitti, quod vulgo quae sui proponuntur.

l) §. IV. INST. de succ. cogn.

m) §. cit. INST. de succ. cogn.

etiam avi materni hereditas ipsis jure vindicatur. Atque ex eadem ratione et ad reliquorum maternae lineae ascendentium successionem procul dubio admittuntur.

§. 12.

NEC NON FRATRIBVS VTERINIS, SIVE LEGITIMIS,
SIVE NATVRALIBVS ET SPVRIIS.

Fratres naturales et spurii, si *consanguinei* n) sive ab eodem patre geniti sunt, nec sibi invicem nec fratribus legitime natis ab intestato succedunt; quia omni et agnationis et cognationis jure destituuntur. Agnatio enim justis solummodo contrahitur nuptiis o); cognatioque ex matre tantum originem trahit p); hinc nullo respectu successionis commoda ipsis largiri possunt. Quodsi vero *uterini* q) seu per matrem conjuncti sunt, una cum legitimis *ex edicto unde cognati* inter se successionis intestatae jus habent, sive ex eodem sive ex diversis patribus eos conceptos esse ponas. Idque non solum in successione naturalis vel spurii, sed etiam

n) FORSTER. *loc. alleg.* L. VII. c. 17. n. 1. *sq.*

o) §. IV. INST. *de succ. cogn.*; L. IV. ff. *unde cogn.*

p) §. cir. INST. *de succ. cogn.*; GRASSVS in *recept. sentent. §. succ. ab intest.* QVAEST. XXXIV. n. 1; BARRY *de success.* L. XVIII. tit. 3. n. 9.

q) L. II. et IV. ff. *unde cogn.*; LUDOV. in *doctr. ff. de succ. ab intest.* p. 582; SCHNEIDEW. ad INST. L. III. tit. 1. *de succ. frat. naturalium et spur.* n. 44; VOET, in *Comm. ad ff. L. XXXVIII. de succ. ab intest.* §. 19; STRYCK, de S. A. T. DIGS. III. C. I. §. 36.



legitimi indubitato obtinet; quidquid etiam nonnulli hac in re contradicant r). Nulla enim adest ratio, cur uterinus legitimus melioris conditionis quam uterinus naturalis vel spurius esse debeat: cum omnes unico tantum vinculo defuncto conjuncti sint, atque ex sola cognationis ratione ad successionem vocentur. Et quis, quaeso, negabit, fratrem uterinum legitimum cum naturalibus et spuriis in successione uterini naturalis vel spurii succedere posse. Quare igitur naturalibus et spuriis reciprocum s) succedendi jus denegabimus?

§. 13.

ITEM OMNIBVS COGNATIS MATERNIS.

Naturales et spurii, sicut fratribus consanguineis succedere prohibentur, ita nec ad reliquorum agnatorum successionem admittuntur r). *Cognatis vero maternis*, quod succedant, certissimi juris est. Quamquam enim ex edicto Praetoris naturales et spurii expressis verbis ad successionem haud vocabantur, edictumque perpetuum u) naturalium tantum mentionem faciebat: tamen dubitari nequit, quin et naturalibus

r) STRVV. in S. I. C. EXERC. XXXVIII. ib. 37; RICHT. de succ. ab intest. MEMBR. III. n. 5.

s) L. XI. C. de legir. hered; L. IX. c. de nar. liber; NOV. LXXXIX. c. 13.

z) FORSTER. in lib. alleg. l. c.

u) Conf. SIM. VAN LEUVEN Corpus Juris Civilis ex officina Elsevir. pag. 69; ubi totum edictum perpetuum insertum reperitur.

libus et spuriiis bonorum possessio ex edicto Praetoris competat, cum Praetor omnes cognatos *x*), inter quos naturales aequae ac spurii jure referuntur *y*), indistincte bonorum possessores effecerit. Sed ponamus, naturales et spurios cognatis maternis ex edicto Praetoris succedere haud posse; an etiam idem *de edicto Proconsulis* *z*) affirmare quisquam audebit? Licebit nobis hac de re dubitare: cum Proconsul non tantum legitimis sed etiam naturalibus et spuriiis cognatorum successionem expresse indulserit. Ita enim audit L. II. ff. *unde cognati*: *Hac parte Proconsul naturali aequitate motus OMNIBVS COGNATIS promittit bonorum possessionem, quos SANGVINIS RATIO vocat ad hereditatem, licet jure Civili deficiant. ITAQUE etiam VVLGO QVAESITI liberi matris et mater talium liberorum, item ipsi fratres inter se ex hac parte bonorum possessionem petere possunt: quia sunt sibi inuicem*

x) §. I. INST. de succ. cogn.; L. I. ff. unde cogn.

y) §. IV. INST. de succ. cogn.; GAIL. L. II. Observ. 88. n. 20. et Observ. 115. n. 11.

z) Miraretur forsitan aliquis, cur hic Proconsul meminimus. Sed sciendum est, L. II. ff. unde cogn. haud ex edicto Praetoris sed Proconsulis cujusdam originem suam trahere, quod etiam de L. IV. et VIII. ff. eod., ob earum cum L. II. ff. unde cogn. consonantiam,

affirmandum esse puto. Licet autem et rubrum et verba initialia d. L. II. demonstrent, illam ex edicto Proconsulis desumptam fuisse: tamen haud liquet, quo tempore vel a quo hoc edictum Proconsulis primo conditum sit; quamvis ex L. VIII. ff. eod. conjicere liceat, illud sub fine Seculi II. p. C. N. jam adfuisse, cum constat, MODESTINVM aetate Imperatoris SEVERI floruisse. Conf. LEXICON VNIVERSALE TOM. XXI. p. 730.

cem COGNATI. Cui legi respondet L. IV. ff. unde cognati: Si spurius intestato decesserit, jure consanguinitatis aut agnationis hereditas ejus ad nullum pertinet: quia consanguinitatis itemque agnationis jura a patre oriuntur. PROXIMITATIS autem nomine mater ejus, aut frater eadem matre natus, bonorum possessionem ejus ex EDICTO petere potest; nec non §. IV. INST. de succ. cogn., jam supra (§. 19. not. m) a nobis allegata, ubi dicitur: vulgo quaesitis ea parte bonorum possessionem comperere, qua proximitatis nomine cognati vocantur. Qua etiam de re, quod nempe nec naturalibus nec spuriis cognatorum hereditas deneganda sit, omnes fere Jurisconsulti a) consentiunt, inter quos et BRVNNEMANNVS adeo praejudicium ad corroborandam sententiam illam adducit. Sine ulla igitur dubitatione omnium cognatorum maternorum hereditas, tam ob legum quam ob doctorum auctoritatem, naturalibus et spuriis merito vindicatur.

§. 14.

a) LVDGV. A SARDIS in tract. membr. 3. n. 8; Ill. I. H. BOEHMER, in alleg. C. XX. n. 4; BENED. DE BARCIS in tract. alleg. §. 21; GABR. PALAEOTT. in tract. alleg. C. XLI. n. 3; FORSTER, loc. alleg. L. VI. c. 48. n. 15; HOTTOMANN. in diff. alleg. c. 4; RICHTER, in lib. alleg. SECT. III. membr. 3. n. 8; Ill. I. H. BOEHMER, in post. de succ. ab intest. C. IV. m. 1. §. 14. 15; STRYCK, de S. A. L. c. 3; VOET, in Comm. ad ff. de succ. ab intest. §. 19; BRVNNEM. in Comm. ad ff. L. XXXVIII. rit. 8. n. 2; DAV. MEVVS in Comm. ad Jus Lubec. P. II. TIT. II. art. 9. §. 18 et 30.

§. 14.

PRIMUM DVBIVM ADVERSVS SVCCESIONEM NATVRALIVM ET SPVRIORVM IN BONA COLLATERALIVM REFELLITVR.

Licet autem, uti §. *praecedente* explicavimus, indubitati juris sit, quod tam naturales quam spurii omnibus cognatis maternis ab intestato succedant: tamen nonnulla hac de re moveri possunt dubia, quae jam in medium proferemus. Primo enim objici potest: Omnem successionem legitimam ex praesumpta mente testatoris proficisci, legesque illos tantum ad successionem vocare, de quibus praesumi potest, testatores eos vocasse, si de bonis suis statuissent. In matre quidem, quae spurios peperit, illud praesumi licere, cum ipso concubitu in eorum nativitatem consensisse necesse sit, illaque hos regulariter aequae ac legitimos liberos diligat: in matris autem cognatos talem praesumptionem cadere haud posse. Spurios enim, quos forte soror vel neptis procreaverit, ut agnoscat, neminem cogi; et potius abominandos esse sororis vel neptis illicitos amores, quam approbandos, talesque liberos heredes sibi quaerendos *b*). Valde autem dubito, an praesumpta voluntas defuncti successionis ab intestato ratio esse possit? Quodsi enim illud statuere velimus, cur veteri jure agna-

b) His argumentis a nobis allatis naturalibus et spuris cognatorum successionem denegare studeat.

CORN. VAN BYNKERSHOECK in
Quaest. Jur. Priv. L. III, C. XI, n^o.

agnatis tantum, non vero etiam cognatis jura sanguinis competebant. Quis enim negabit, cognatos defuncto eodem sanguinis vinculo junctos esse, quam ipso agnatos? Aliam igitur rationem successionis ab intestato, ut quaeramus, necesse erit. Quae antiquis temporibus haec fuisse mihi videtur, ut nullo testamento condito facultates defunctorum penes familiam manerent, nec ad alias gentes pervenirent; cui postea, ex aequitate naturali, alia adhuc, sanguinis nempe ratio, qua et cognati ad successionem vocarentur, accessit. Quod vero ad odium liberorum naturalium et spuriorum attinet, illud quam maxime est injustum. Licet enim opprobria familiae sint, vel adeo levis notae macula laborent: tamen haec macula ex delicto matris originem trahit. Cum igitur matri, tanquam indignae, hereditas non auferatur, cur innocentem prolem deterioris conditionis, illique ob alterius delictum hereditatem denegandam esse, statuerimus?

§. 15.

ALTERVM DVBIVM TOLLITVR.

Secundo urgeri poterit: *Senatusconsultum Orphitianum* spuriiis tantum successionem in bona matris concessisse *c)*, *edictumque Provinciale* illud quidem ad aviam fratresque uterinos *d)*, sed haud ad reliquos cognatos extendisse. Procon-

c) §. III. INST. de SC. Orphis.

d) L. II. et VIII. ff. unde cogn.

fulem enim ipsum bonorum possessionem, quam in initio l. 11. ff. unde cogn. omnibus cognatis, quos sanguinis ratio ad hereditatem vocaret, ex aequitate dederat, in sequentibus intuitu spuriorum ita restrinxisse, ut spurii tantum respectu matris et fratrum illa competeret: quacum lege et l. 1v. ff. eod. consentire, cum et haec lex praeter fratres nullorum reliquorum cognatorum mentionem faciat. Haud igitur ultra fratres uterinos, quos leges nominatim vocaverint, naturalibus et spurii hereditatem competere posse; praesertim cum et in reliquis cognatis ratio, ob quam solam Proconsul bonorum possessionem ipsis concessisset, caritas nempe sanguinis, fere desit, quia illa in linea descendente quidem maxima, in collateralis autem valde remota sit. Sed et hoc dubium facile refelli potest. Quamvis enim concedamus, naturalibus et spurii ex *Senatusconsulto Orphitiano* maternam successionem duntaxat competere, *legemque v111. ff. unde cogn. aviae* solummodo hereditatem ipsis detulisse: tamen unius positio non est alterius exclusio. *Senatusconsulto* enim *Orphitiano*, uti principium ejus denotat, liberis tantum non vero nepotibus multo minus reliquis cognatis consulebatur, *legemque v111. ff. unde cogn. duntaxat* quaerebatur, utrum nepotes ab aviae matris bonis arceri possent, quia vulgo *quacsiti* proponerentur. Quod autem in l. 11. ff. unde cogn. Proconsul naturalibus et spurii non ulteriorum cognatorum, quam fratrum uterinorum, hereditatem concesserit:

E

nc-

negandum esse arbitror. Proconsul enim initio hujus legis *omnibus cognatis*, quos sanguinis ratio ad hereditatem vocabat, (igitur etiam *naturalibus* et *spuriis*, cum et hi cognati sunt, et sanguinis ratione ad hereditatem vocantur) bonorum possessionem concedebat: in verbis sequentibus vero intuitu spuriorum fratres ut proximos cognatos exempli tantum gratia adducebat; quod tam ex verbo: *Itaque*, quod in jure: *ergo* sive *proinde* significat *e*), quam ex verbis finalibus, quae rationem hujus dispositionis continent: *quia sunt sibi invicem cognati*, apparet. Eademque ratione et L. IV. ff. *ead.* merito interpretanda: cum et illa, uti jam supra memoravimus, ex eodem edicto Proconsulis originem suam procul dubio trahat, et etiam ipsissima hujus legis verba demonstrant, fratres in hac quoque lege exempli solummodo gratia adductos fuisse. Caritatem vero sanguinis in linea collateralis valde remotam esse, lubenter quidem concedo; sed, quid inde sequi possit, haud intelligo: nisi forsitan ex hoc argumento deduci velimus, quod etiam cognatis, ex justis nuptiis procreatis, cognatorum successio deneganda sit.

§. 16.

TERTIVM DVBIVM REMOVETVR.

Denique etiam illud dubium moveri potest: An non omne illud successiois commodum, quod naturalibus et spu-

e) Conf. BRISSONIVS *de verb. signif.* ex edit. I. H. BOEHMERI pag. 666.

spuriis tam ex indulgentia Praetoris et Proconsulis, quam ex Senatusconsultis et Constitutionibus Principum olim compete-
 bat, noviori jure abrogatum sit? Ex ipsa enim *praefatione* NOV. LXXXIX. apparere, JUSTINIANVM omne jus libero-
 rum naturalium in hac Novella colligere voluisse, ut pro omnibus, quae antea de naturalibus constituta fuissent, suffici-
 ceret. Praeterea eundem JUSTINIANVM in *praefatione* NOV. CXVIII. asserere: se omnes ab intestato cognatorum succes-
 siones ea ratione collegisse, ut prioribus legibus, pro hac causa positibus, vacantibus, ea sola servarentur, quae in hac
 Novella constitueret. Et tamen illum in NOV. LXXXIX. de successione naturalium in bonis cognatorum nihil disposuisse,
 et in NOV. CXVIII. naturalium et spuriarum ne quidem mentionem fecisse. Cui adhuc accedere, quod Recessu Imperii
 Concubinatus, olim licitus, reprobatus sit; quo abrogato abrogata etiam esse jura naturalibus olim concessa. Sed et
 hoc argumentum non adeo firmum est, ut quis tuto illo niti possit. Quod enim ad NOV. LXXXIX. pertinet, cum secundum
 ejus praefationem omnia naturalium jura in illa continentur, et tamen ea de materna successione nihil dispositum
 erit; certum indicium inde deduci potest, Imperatorem intuitu maternarum hereditatum nihil mutare voluisse. Idque
 eo probabilius est, cum in ipso CAPITE XIV. d. NOV. matri tutela liberorum naturalium, cum potestate omnia, quae in
 legitimis liberis definita sunt, agendi, expresse concessa sit.

E 2

Ubi

Ubi enim tutelae onus, ibi et successione commodum est f). Quodli vero matri naturalium hereditas noviori jure denegari nequit, nec naturalium in bona matris successio in dubium trahi poterit; cum successione jura reciproca esse debeant g). Sed nec NOV. CXVIII. omnes veteres succedendi ab intestato leges derogavit. Differentiam enim tantum inter agnatos et cognatos, quae veteri jure exstabat, sustulit; haud vero plane novas successione ab intestato leges introduxit. Hinc et notanter in ejus *praefatione* dicitur: *Prioribus legibus, PRO HAC CAUSA POSITIS, vacantibus.* Praeterea non requirebatur, ut Imperator in hac Novella naturalium et spuriorum meminisset, cum cognatorum numero continebantur, et igitur omnia ea, quae de legitimorum cognatorum successione constitueret, ipso jure et ad illos pertinebant. Objiceret autem nobis forsitan aliquis: illos ex hac ratione etiam agnatis paternis succedere debere? Sed respondeo: succederent omnino ex hac Novella omnibus agnatis paternis, nisi ipsis NOV. LXXXIX. expressa prohibitio obfaret. Inde etiam negari nequit, quod illis maternorum agnatorum hereditas, ad quam ex edicto Praetoris vel Proconsulis olim adspirare haud potuerunt, hodie competat. Utrum autem abrogato concubinato sublata etiam sint jura, natu-

f) NOV. CXVIII. c. in princ.

c. de nar. lib.; NOV. LXXXIX.

g) L. XI. C. de legir. hered.; L. IX. c. 13.

naturalibus in maternis bonis olim concessa, merito dubitamus. Quaecunque enim leges expresse abrogatae non sunt, cur illis stare prohiberemur ^{b)}? Cumque non tantum naturalibus, sed etiam spuriiis maternorum cognatorum hereditas, uti supra demonstravimus, competat; nulla adest ratio, quare spuriiis naturales sint deterioris conditionis. Saltem succedant ut spurii, si ut naturales succedere nolis.

SECTIO II.

QVID IVS GERMANICVM IN HAC SVCCSSIONIS MATERIA CONSTITVAT.

§. 17.

VETERES GERMANI NATVRALIBVS ET SPVRIIS SVCCSSIONIS BENEFICIVM DENEGASSE VIDENTVR.

Maximam certe laudem *veteres Germani* ab antiquissimis inde temporibus eo sibi conciliarunt, quod imprimis castitatem et pudicitiam sancte coluerint. Intra annum vigesimum enim foeminae notitiam habuisse, in turpissimis habebant rebus, testante CAESARE *de Bello Gallico*. LIB. VI. c. 20. Et TACITVS *de moribus Germanorum* cap. 18-20: *Sera, inquit, juvenum venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinan-*

^{b)} L. XXVII. c. de *rescissam*; argum. L. XXXII. §. 6, c. de *appell. & consult.*

nantur. *Severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris, quam quod singulis uxoribus contenti sint; exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. ---- Septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis convivorum irritationibus corruptae. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens, sicut et publicatae pudicitiae nulla venia. Idemque testimonium et QVINTILIANVS. DECLAM. III. c. 16. perhibet: Si mereiricia imperatur necessitas, si adversus obscenam vim corruptoris arma tantum contumeliae causa habemus, potius castra capiantur, et vim Tribuni interpellet Cimber. Nil tale novere Germani et sanctius vivitur apud Oceanum i). Hancque veterem pudicitiae laudem etiam posteri servarunt; acerbissimis poenis stuprum, incestum et adulterium vindicantes k). An vero etiam naturalibus et spuris successione*
com-

i) Plura hujus rei exempla copiose eleganterque collegit Perillustis GEO. CHRIST. GEBAVER. in *progr. ad honores Illustr. GEO. HENR. AYRERI*. Ceterum ex his jamjam allatis apparebit, valde illos errasse, qui ex alio loco TACITI, nimirum c. 12. et quidem verbis: *corpore infames*, eruere student, Germanos haud pudicos sed adeo muliebria passos fuisse: quorum etiam sententiam doctissime refellit, et, quod

pro: *corpore infames, torpore infames* cum LIPSIO legendum sit, idoneis argumentis evincit idem laudatus Perillustr. GEBAVER. in *elaboratissima dissert. de judiciis capitalibus veterum Germanorum §. 2. usque ad finem.*
k) LEGES WISIGOTH. L. III. tit. 4. 5; EDICTVM THEODORICI OSTROGOTH. REGIS §. 38, 39, 59 sq; LEG. BVRGVND. TIT. XXXVI, XLIV, LII, LXI et LXVI; LEX SALICA TIT.

commoda denegarint, haud expediti juris est. Licet enim intuitu LONGOBARDORVM, apud quos frequentior erat concubinatus, quam apud reliquos Germanorum gentes, illud intuitu naturalium merito negemus; cum illi naturalibus filiis aliquam hereditatis partem expresse assignaverint l); tamen de WISIGOTHIS, OSTROGOTHIS, BVRGVNDIONIBVS, SALICIS, RIPVARIIS, FRANCIS, BAJVARIIS, ALEMANNIS, SAXONIBVS et FRISIS contrarium statuendum esse existimo. Omnes enim horum leges eo conveniebant, quod liberis ex justo matrimonio natis, his vero deficientibus aut agnatis aut fisco parentum bona assignarentur m). Quamvis igitur de

suc-

TIT. XIV. §. 12; LEG. RIPVAR. TIT. XXXV. §. 1; CAPITVL. REG. FRANCOR. L. VI. §. 209, 431, 433 et L. VII. §. 356; LEG. BAJVAR. TIT. VI. c. 1. et TIT. VII. c. 1. §. 13; LEG. ALEMANN. TIT. XXXIII. §. 1, TIT. XXXIX. §. 1. 2. et TIT. LVIII. §. 1-3; LEG. SAXON. TIT. III. §. 3; LEX FRISIOR. TIT. IX. §. 1 sq. et LEG. LONGOBARD. L. I. tit. 32. §. 6. L. II. tit. 7. §. 9. et L. III. tit. 3. §. 10.

l) Apud illos enim *naturales filii* cum uno legitimo concurrentes, *tertiam*; cum duobus, *quintam*; cum tribus, *septimam*; cum quatuor, *nonam*; cum quinque, *duodecimam*; et cum sex,

tertiam decimam hereditatis partem capiebant. Si filii legitimi non exstarent, sed filia una, eadem cum fratribus naturalibus reliquisque cognatis ita succedebat, ut singuli *trientem* acciperent. Quodsi vero duae pluresque filiae legitime adessent, et unus pluresque filii naturales aliique cognati *semissem*, naturales *trientem* et cognati *sextantem* consequerentur. Nunquam autem, naturales legitimis liberis acquirere, permillum fuit; nisi accederet legitimorum duodecim annis majorum consensus. Conf. LEG. LONGOBARD. L. II. TIT. XIV. §. 2. 3. 6-11.

m) Conferantur leges harum gentium supra *nota b.* a nobis allegatae,

successione naturalium et spuriorum nihil expresse constituerint: tamen ex hac ipsa bonorum publicatione praesumilicebit, illos naturales et spurios ab omni successione commo arcuisse.

§. 18.

HODIE NONNULLA STATUTA LEGESQVE PROVINCIALES GERMANIAE NATVRALES ET SPVRIOS AD SVCCES- SIONEM ADMITTVNT.

Jure Germanico hodierno nonnullae leges naturales et spurios ab omni prorsus successione indistincte excludunt, plurimae autem ipsis successione commodum, vel sub certis restrictionibus, vel etiam sine omni limitatione concedunt. Singulas igitur has leges eo ordine recensebimus; ut hac §. illas afferamus, quae in favorem naturalium et spuriorum nonnulla constituerunt, *sequenti* vero illas adducamus, quae hos ab omni prorsus successione repellunt. Ceterum quoque monendum erit, nos paternam successione, quia ab instituto nostro aliena est, omnino hic praetermittere *n*). Quod igitur ad maternam attinet successione, nonnulla Statuta legesque provinciales naturalibus et spuris hac tantum conditione, si liberi legitimi deficiant, successione com-

n) De successione germanica liberorum naturalium et spuriorum in bona patris ex instituto egit Consult. TRE-

SENREYTER. in *Commentatione Juris Germanici: de his, qui heredes institui prohibentur* C. VIII. §. 8. *p.*

commoda largiuntur. Ita enim se habent STATVA OTTERN-DORFIANA T. II. tit. 10. p. 172: Dat unehelke Kind nimmt nicht Erwe mit den ehelickenn Kinderenn, wann awerst keine ehelike Kinder verhandenn, nimmt dat unehelke Kind der Moder Erwe. Item die Verordnung des Sadlerschen Land-Gerichts p. III. tit. 16. p. 45: Die Mutter aber erbet ihren natürlischen und unehelickhen Kindern ihre Güter, wann sie keine eheliche Kinder hat, sein aber eheliche Kinder verhanden, werden die unehelischen ausgeschlossen und erben nichts. Quibuscum legibus conveniunt LEGES AVSTRIACAE, quae tamen praeter defectum liberorum legitimorum adhuc requirunt, ut mater nec illustris nec nobilis sit. Ita enim sancit SUPPLEMENTVM CODICIS AVSTRIACI P. II. pag. 547. tit. 4. §. 2: Was aber die mütterlichen Güter belanget, sollen dergleichen unehelich geborne Kinder in denselben zu Erben zugelassen seyn, wosern die Mutter nicht des Herren: oder Ritter: Standes, oder auch in niedern Stand andere ehelich geborne Kinder vorhanden wären. Aliae autem Germanorum leges, naturales et spurios, licet legitimi liberi adsint, ad maternam tamen successionem expresse admittunt. Ea ratione disponunt STATVA DVNCKELSPÜHLANA TIT. V. §. 10: Die natural Leib oder Lieb Kinder sind, ob sie gleich nicht legitimirt, ihrer Mutter rechte Erben, nicht anderst als wann sie derselben eheliche Kinder wären, daher sie dann mit andern ehelichen Kindern, die ihre Mutter neben ihnen hätte, an mütterlicher Erbschaft zu gleichen Erbtheilen anstehen; nec non die Solnische Landes-Ordnung p. II. tit. 28. §. 6: Bastarten oder Bankarten mögen ihre leibliche Mutter wopl erben et REFORMATIO NORIMBERGENSIS L. VIII. tit. 34:

Natürliche Kinder, die doch von verdampfter Geburt nit sein, erben ire leibliche Mutter. Hisque Statutis legibusque a nobis allatis consentiunt: REFORMATIO FRANCOVRTANA P. V. tit. 7. §. 13; REFORMATIO WORMATIENSIS L. IV. t. 5. f. 93; Das Hohenloische Land-Recht T. IV. §. 4. n. 4; Das Württembergische Land-Recht P. III. tit. II; IUS PROVINCIALE PRVS-SICVM L. V. tit. 12. art. 1. §. 9. &c. Ad avi vero vel aviae maternae sicut et collateralium maternorum successionem pleraeque Germanorum leges naturales et spurios tunc demum admittunt, si nulli liberi legitimi concurrant o). Ex-
cipiuntur *leges Hadelenses p)*, quae liberis illegitimis fratrum illegitimorum hereditatem deferunt, *reliquaque Statuta*, quae juris Communis dispositionem secuta sunt,

§. 19.

ALIA VERO STATVTA IMPRIMIS LVBECENSIA ILLOS
AB OMNI SVCCESIONE EXCLVDVNT.

Inter Statuta, quae naturales et spurios ab omni successione arcent, alia illos expressis verbis ab omni successione
emo-

o) Conf. STATVTA FRIEBVRGENSIA. VIII TOM. 3 tract; STATVTA LVNEBVRGICA P. V. Tit. 2; REFORMATIO FRANCOVRTANA P. V. Tit. 1. §. 14; REFORMATIO WORMATIENSIS L. IV. Tit. 4. f. 93;

Consult. TRESENREYTER. in lib. alleg. cap. c. §. 12.

p) Verordnung des Hadelerschen Land-Berichts P. III. tit. 16. p. 45: Die unehelichen von einer Mutter geboyn, erben einer den andern.

emolumento excludunt, alia autem non quidem expresse sed tamen tacite successionis commoda ipsis denegant. Ad illa pertinet STATVTVM LVNEBVRGICVM: quod P. V. tit. 2. ita audit: Nach unserm Stadtbuch erbet kein unecht Kind die Mutter, so wenig als den Vater, wie denn auch eines unechten Menschen Güter dem gemeinem Gut allhier ansterben. item Dey ande Schrae der Stat van Soist §. 172. q): Were eyn Man este eyn Wyf unecht, winnet dey vort echte Kindere, dey Kindere, nahtan dat sey echte sin, so ne möghen sey nicht achterwort Ghuyt ofte Erwe nemen, des de Vader este de Moder nicht nemen mochten. Quibus consentit STATVTVM LVBECENSE, in quo tamen id singulare, quod bona naturalium et spuriorum non fisco sed proximis cognatis adjudicentur. Licet enim Jure Communi successionis jura reciproca esse debeant; tamen illud Jure Lubecensi haud observatur. Haec sunt verba hujus Statuti L. II. T. II. art. 9: Uns ehliche Kinder nehmen kein Erbe, aber derselben verlassnen Gut erben ihre nächsten Blutsfreunde r) die dazu gehören. Ad ea vero, quae

natu-

q) Conf. Consult. EMMINGHAUSII MEMORABILIA SVSATENSIA P. III. Documentorum No. 3.

r) Hic monendum erit, quod sub verbis: ihre nächsten Blutsfreunde, quibus naturalium et spuriorum hereditas Jure Lubecensi vindicatur, haud intelligantur proximi a parte patris sed tantum a parte matris ipsi juncti. Cum enim Jus Lubecense nihil specialius

quoad hanc successionem constituat, Jus Civile procul dubio in illa sequi debemus. Sed quaeritur, utrum cognati materni ad omnium illegitimorum hereditatem indistincte admittendi sint? id quod cum MEVIO L. II. T. II. art. 9. n. 31. negandum esse existimo. Naturales enim et spurii non indigni sunt successione, alias enim fiscus auferret eorum hereditatem, sed tantum inca-

naturalibus et spurii successione ab intestato jura tacite denegare videntur, imprimis refero STATVTA BREMENSIA, quae eo, quod dicitur echten Kinder mentionem faciunt, tacite illos ab omni successione commodo excludunt. Ita enim sanciunt STATVTA BREMENSIA TIT. V. §. 12: Sterbet Vader und Moder, und sind ehre echte Kinder, de se thosamende hedden by Mann und Frowen beraden, de schölen dat Erwe und dat Gutß ließ deelen. Quamvis autem nonnulla Germanorum Statuta legesque provinciales naturalium et spuriorum successione vel prorsus prohibeant, vel arctissimis limitibus circumscribant: tamen in eo omnes Germanorum leges aut *expresse* s) aut saltem *tacite* t) unanimi consensu conveniunt, quod ipsis alimenta suppeditanda sint, eaque non tantum viventibus parentibus sed et his mortuis ex illorum bonis debeantur.

SE-

paces. Quis autem de incestuosus et adulterinis idem affirmare audebit? Accedit, quod naturales et spurii secundum Jus Commune jure cognationis gaudeant, adulterini autem et incestuosi illo destituantur. Hinc verius erit, quod fisco, non autem proximis cognatis, adulterinorum et incestuosorum hereditas Jure Lubecensi vindicanda sit.

s) Conf STAT. LVNEB. P. V. T. 2; STAT. FRIEBURG. VIII TOM. 3 tract; STAT. OTTERNDORF. T. II. r. 10; SVPL. COD. AVSTR. P. II. p. 547.

tit. 4. §. 1; Das Sadlersche Land: Recht. P. III. Tit. 16; Das Colmarische Stadtrecht TIT. XXX. p. 81. Das Eyderstedtische Land: Recht. II. Theil art. 17. §. 5. §. &c.

t) Cum enim Jura Susatensis, Bremensis et Lubecensis nihil intuitu alimentorum expresse constituerint, inde affirmare licebit, etiam Susatenses, Bremenses et Lubecenses intuitu alimentorum tam Jus Germanicum vetus quam Jus Canonicum esse secutos.

SECTIO III.

IVS HAMBURGENSE HANC SVCCSSIONIS MATERIAM IVRIS CIVILIS DISPOSITIONI RELIQUIT.

§. 20.

STATVTA HAMBURGENSIA HODIERNA DE NATVRA-
LIVM ET SPVRIORVM SVCCSSIONE NIHIL
DISPONVNT.

In Jure Statutario Hamburgensi multa singularia, hoc praeprimis, quod eorum, quae in Statuto expresse determinata non reperiuntur, decisio haud ex Jure Saxonico, sed ex Civili Jure, vigore *epilogi* u) dicti Statuti haurienda sit; quamvis Statutum saltem antiquum ex Jure Saxonico maximam partem sit desumptum. Nec Jus Saxonicum Juri Statutario Hamburgensi quicquam auctoritatis conciliare potest, nisi Statuto insertum, aut usu receptum et approbatum, ut jam dudum observavit Consultissimus NIC. DE FECHT in *an-*
nota-

u) Ita enim habet *epilogus* STATVTI HAMBURGENSIS de ao. 1603: Da auch fünftiger Zeit, in dieser guten Stadt sich Fälle zutragen würden, welche in diesen vorgeseßtem Stadts-Rechte nicht specificirt, oder davon

disponirt und Verordnung gethan: So sollen dieselben nach gemeinen beschriebenen Kayserlichen Rechten, und denen im heiligen Römischen Reich publicirten Constitutionen erörtert werden.

notationibus ad Statuta Hamburgensia p. IV. ad epilogum x). Quodsi igitur Statutum Hamburgense de successione liberorum naturalium et spuriorum nihil expresse constituerit; naturalibus et spuriiis matris maternorumque cognatorum hereditas, ad quam Jure Civili, uti supra demonstravimus, adspirare ipsis permiffum est, jure etiam Hamburgensi merito vindicatur. Quamobrem jam inquirere operae pretium erit, utrum Jus Statutarium Hamburgense de illegitimorum successione nihil unquam statuerit? Ad *jus antiquum* quod atinet, dubitari vix poterit, Hamburgenses naturalibus et spuriiis omne successione commodum tacite denegasse. In veteri enim Statuto de *ao. 1292. y) lit. I. §. 14.* illud reperitur: *Doek is de Half Broder effte Half Suster de echte Kintere syn nöger Erve upthobdrende, als ehme de Wedder de Meddere.* An vero idem *jure hodierno* affirmandum sit, valde dubito. Cum enim tota haec dispositio in Statutum novum de *ao. 1603. p. III. T. III. art. 15.* relata sit, omiffis verbis: *de echte Kintere syn*, luculentum satis argumentum inde deduci poterit, majores quidem nostros jura Germanica antiqua secutos esse, quoad successione tamen liberorum illegitimorum postea praevaluisse dispositionem juris Romani, cujus amorem condito-

x) Haec annotata inserta reperiuntur TOMO I. *Theauri Juris Provinc. et Statutarii Germaniae* p. 861. sq.

y) Conf. *Theaur. Jur. Provinc. et Statut. Germ.* TOM. I. p. 679.

MATERIAM IVRIS CIVILIS DISPOSITIONI RELIQVIT. 47

ditores Statuti novi multis aliis in locis prodiderunt, et deleta dispositione Juris Saxonici circa illegitimos (die unechte Sinder) successionem eorum Juris Civilis dispositioni esse relictam. Ceterum hic monendum erit, fratres naturales et spurios consanguineos, cum Jus Civile illos expresse excludat, nec secundum hoc Statutum novum sibi invicem succedere posse; uterinos autem, quibus Jus Civile successionem concedit, Jure Statutario hodierno ad successionem admittendos esse.

§. 21.

REMOVETVR OBIECTIO EX SIMILITVDINE IVRIS
LVBECENSIS.

Sed et haec sententia nostra, quod nempe Jus Statutarium Hamburgense circa hanc successionis materiam dispositioni Juris Romani contrarium non sit, haud adeo firma est, ut nullum prorsus dubitationi locum relinquat. Removeamus igitur et illa dubia, quae nobis forsitan hic objicerentur. Primo moveri poterit: Jus Statutarium Hamburgense ex Jure Lubecensi originem suam procul dubio traxisse ²⁾. Quod quidem colligendum videri tam ex diplomate FRIDERICI II. Impe-

²⁾ Conf. Perill. ERN. JOACH. DE *rerum Germanicarum* et III. FRANC. WESTHAL. in *praefatione ad TOM. DOMINICI HAEBERLIN. in praefatione ad Statuta Sisyrensis.*
III. et IV. monumentorum ineditorum

Imperatoris a) quo Hamburgensibus antiquam justitiam Lubecensem, ab ADOLPHO III. Holsatiae Comiti ipsis concessam, confirmavit, quam ex ipsa illa *Hamburgensium et Lubecensium legum convenientia* b). Hinc cum MEVIO c) statuendum esse, Statuta Hamburgensia et Lubecensia mutuam a se invicem interpretationem potius sumere, quam a Jure Communi, et in hoc vigore *epilogi* Statuti Hamburgensis tunc demum ultimo refugio locum esse, si ex Jure Lubecensi decisio non suppeditari possit. Quamquam igitur Jure Hamburgensi nihil de naturalium et spuriorum successione constitutum sit; tamen ipsis etiam illo jure successione commoda deneganda esse, cum Jure Lubecensis expressa dispositio naturales aequae spurios ab omni successione emolumento arceat. Nego autem pernegoque Jus Statutarium Hamburgense ex Jure Lubecensi

a) Verba hujus diplomatis haec sunt :
FRIDERICVS &c. Notum facimus ---
quod ADOLPHVS Comes Holsatiae fide-
lis nostro culmini supplicavit, quatenus
concessionem juris, quod olim SECVN-
DVM ANTIQVAM JUSTITIAM LV-
BECENSEM Pater ejusdem Comitis fe-
cit civibus novae civitatis in HAMBVRG
juxta Alstria, in bonis et jure suo, de
areis, piscuis, in fructu arborum Sylve-
strium, concessam quoque IMMVNITA-
TEM TELONII Spectantis ad eum in

totam terram suam, et quod bis fieret ibi FO-
RVM in anno, juxta renorem paterni
privilegii eis indulti, confirmare de no-
stra gratia dignaremur. Nos igitur ---
--- eandem concessionem --- perpe-
tuo confirmamus.

b) Conf. Perill. DE WESTPHAL.
et Ill. HAEBERLIN. in libris allega-
tis l. l. c. c.

c) Vide MEVIUM in Comm. ad Jus
Lubecense in prolegom. QVAEST. X.
n. 26.

Lubecensi originem suam trahere. Quod enim ad diploma FRIDERICI II, quo Hamburgensibus antiquam justitiam Lubecensem confirmavit, pertinet, antiqua haec justitia Lubecensis haud de Statuto sed potius de privilegiis Lubecensibus intelligenda erit. Quamvis enim vox *justitiae* nonnunquam in eo significato occurrat, ut *Jus Statutarium* Civitatis alicujus denotet, tamen sub ista voce *privilegia* etiam intelligi possunt *d*). Neque prorsus inauditum, civitatem Germaniae alterius privilegiis donari *e*). Certe, si vox *justitiae* in diplomate FRIDERICI II. de Statutis interpretanda esset, quorsum ea, quae de immunitate a telonio, et de foro bis in anno concessio habentur, referes? Haec enim ad privilegia, non ad Statuta pertinere nemo dubitabit. Sed non magis nobis obstat *Hamburgensium et Lubecensium legum convenientia*. Reperta juris nostri cum peregrino jure

con-

d) Perquam eleganter tam ex diplomatum quam scriptorum fide illud evincit Illustris et Magnificus IAC. SCHVBACK, Reipublicae Hamburgensis Syndicus dignissimus, in *dissertatione epistolari: de origine Statutorum Hamburgensium non Susatensis* §. 3. Liceat nobis ex documentis summo cum studio l. c. copiose exhibitis, unicum solummodo in medium asferre, et quidem diploma HENRICI Romanum Regis de

no. 1234: *Cum nos velimus dilectum Principem nostrum venerabilem Wormaticensem electum conservare in omnibus JUSTITIIS suis*. In ipso enim illo diplomate verba sequentia diserte demonstrant, quod sub voce justitia privilegia intelligi debeant: *Justitiae ecclesiae sunt quaevis jura, quae Ecclesiae competunt.*

e) Plurimis exemplis illud ostendit Illustr. SCHVBACK, in *dissert. alleg.* §. 4.

G

congruentia non illico illius ex hoc transfumti argumtum est, cum aequalis utrobique necessitas leges etiam aequales parere possit *f*). Tantum vero abest, ut quanta passim videatur, tanta ubique sit Statutorum nostrorum cum Lubecensibus convenientia; ut potius plurimis in locis maxima invicem distent legum praecipuarum diversitate. Ut alia jam praetermittam, *portio Statutaria conjugum secundum Jus Hamburgense, in Lubecensi, quod longe alium succedendi modum conjugibus praescribit, prorsus ignoratur g*). Quare igitur unum Statutum ut fontem alterius considerabimus? Ex jam allatis conijcere licebit, Jus Lubecense Juri Statutario Hamburgensi enodationem aliquam suppeditare haud posse, nisi in aliquo casu utrorumque Statutorum similis dispositio diversa tamen perspicuitate existet.

Cum

f) Jam dudum illud monuit Celebratissimus atque Doctissimus MICHAEL RICHEY, Praeceptor quondam meus post fata adhuc in aeternum mihi deventerandus, in absolutissima *dissertatione: de Historia Statutorum Hamburgensium*, quam sub ejus Praesidio defendit Illustri atque Consultissimus FRANC. ANT. WAGNER, jam Senator Hamburgensis meritissimus, C. II. §. 2. Ceterum haud improbabili est Clarissimi hujus Viri conjectura, quam in *dissert.*

alleg. c. II. §. 14. assert: Hamburgo nempe ab HENRICO LEONE, quem et Lubecenses quasi primum Statutorum suorum auctorem agnoscent, leges Statutarias donatas esse, et inde oriri Hamburgensium et Lubecensium legum convenientiam, ut propterea non opus sit, omnia ex uno transcripta opinari. *g*) Conferatur P. III. TIT. III. art. 8. JVR. STAT. HAMBVRG. cum P. II. TIT. II. art. 12. JVR. STAT. LVBEC.

Cum igitur Jus Statutarium Hamburgense naturalium et spuriorum ne quidem mentionem fecerit, multo minus de eorum successione aliquid statuerit; nec Juris Lubecensis dispositio naturalibus et spuris in Jure Hamburgensi quicquam detrimenti afferre poterit.

§. 22.

RESPONDETUR AD OBJECTIONEM ILLVSTRIS
MANTZELII.

Deinde regeri poterit, Statuta Hamburgensia non quidem positive sed tamen remotive naturalibus et spuris omnem successione commodum denegasse *b*). Jus Statutarium enim Hamburgense P. III. TIT. III. art. 1. expresse sancit: So zwey Persohnen in den Ehestand zusammen treten, und mit einander Kinder zeugen, stirbet, nach den unwandelbahren Willen des Allmächtigen, ihrer beyder eins, alle Erb und Güter fallen auf den längstlebenden und ihrer sämmtliche Kinder. Cum igitur omnia bona, tam hereditaria quam acquisita, liberis ex hoc matrimonio natis relictoque conjugii vindicentur, naturales et spurios ab omni hereditate procul dubio excludendos esse. Praeterea valde memorabile esse, quod Statutum Hamburgens-

b) Hanc sententiam fovet Illustr. cum accessionibus Jus Hamburgense ERN. IO. FRID. MANTZEL. in Jure ex et applicandibus. CENT. III. Jus Mecklenburgico et Lubecensi illustrato, dic. 95.

genſe, ubi de ſucceſſione diſponit, *liberorum tantum legitimorum* mentionem facit. Hoc igitur caſu nullam aſſeſſe extensionem ultra caſum in Jure Hamburgeniſi expreſſum, ſed praefentem caſum, prout in Jure Statutario Hamburgeniſi expreſſus eſt, naturales aequae ac ſpurios ab omni ſucceſſione remove-
 Unde ad Jus Commune per epilogum Statuti recurrendum non eſſe; cum Statuta Hamburgeniſia de naturalium et ſpuriorum ſucceſſione tacite jam diſpoſuerint. Sed et hoc argumentum facile refutari poterit. Verba enim *ihrer ſämmtliche Kinder*, quae in Statuto noſtro *l. c.* occurrunt, haud ſignificanc liberos ex hoc tantummodo matrimonio procreatos; ſed potius *omnes liberi ab utroque conjuge relictī, ſive legitimi ſive naturales et ſpurii*, his verbis continentur. Quodſi liberos ex hoc matrimonio natos ſolummodo intelligere velimus; etiam liberis ab uno alterove conjuge ex priori forſitan matrimonio genitis, licet totalis diſiſio non ſit inſtituta, parentum tamen hereditas deneganda foret. Huic vero theſi directe obſtat *textus expreſſus art. 4. hujus TIT.* ubi dicitur: und dieſelben nach ſeinem Tode mit den Kindern anderer Ehe (wann dieſelben gleichergeſtalt ihrer Mutter Güter vorausgenommen) zu ſeinen Gütern in die Häupter ſuccediren und erben laſſen. Cum igitur evidens ſit, verbis *ihrer ſämmtliche Kinder* non tantum liberos ex hoc matrimonio natos, ſed etiam omnes alios ab utroque conjuge relictos, comprehendī; hac Juris Statutarii Hamburgeniſis diſpoſitione naturalibus et ſpuriiſ
 ma-

materna hereditas haudquaquam tacite denegatur. Quod autem in Statuto nostro semper liberorum legitimorum nunquam vero illegitimorum mentio facta sit, etiam nostrae sententiae obesse nequit, quia ex eo, quae in fine §. 20. attulimus, conjici poterit, majores nostros caute illos silentio transiisse et naturalium spuriorumque successionem vigore epilogi Statuti Juris Civilis dispositioni mere reliquisse.

§. 23.

TOLLITVR DVBIVM EX BONIS HEREDITARIIS
DESVMPTVM.

Tandem et illud dubium moveri potest. Liberos naturales et spurios, licet ipsis etiam intuitu acquiritorum Jure Hamburgensi hereditas non deneganda sit; tamen ratione bonorum hereditariorum hoc jure ad successionem non admittendos esse, cum Jure Statutario Hamburgensi bona hereditaria *denen rechten und nächsten Erben* ¹⁾ relinquenda sint. Aut enim praedicatum illud *derer rechten Erben* in Statuto nostro superfluum esse, quod vero in nulla unquam lege opinari nobis licet, aut vocem illam de heredibus legitimis sive *rechtmäßigen Erben* interpretandam esse. Sed voce *derer rechtmäßigen Erben* illegitimos nullo modo comprehendi posse; quia ob dedecus natalium cognationis affinitatisque jura nunquam

¹⁾ Conf. STATUTA HAMBURGENSIA P. III. TIT. I. ART. 4. 5. 6. Sg.

quam acquisivissent. Nec ob stare, matrem illegitimum bona hereditaria capere posse, cum ipsa nativitate tale jus consequuta sit, et nullibi constitutum reperiat, eam ob incastitatem illud amittere. Insuper cum Jure Hamburgensi in dispositionibus quibusdam de bonis hereditariis proximorum heredum consensus expresse requiratur *k*), valde indecorum atque difficile fore, liberorum etiam illegitimum consensum requirere. Illos enim quasi maculas familiae occultatos et haud facile explorandos esse. Arduum certe argumentum est, sed haud ita comparatum, ut nullo modo refutari possit. Primo enim verba: die rechten Erben, quae in Statuto nostro l. c. occurrunt, significant tantum heredes ab intestato, quibus testamentarii opponuntur. Hinc ergo explicare possumus, in Statuto Hamburgensi non tantum de reo rechten sed etiam de reo nächsten Erben mentionem fieri. Quamvis enim *heredes testamentarii* rechte Erben vocentur, cum ad eos per expressam voluntatem testatoris hereditas legitime deferatur; tamen voce de reo nächsten Erben non semper comprehenduntur. E contrario *heredes ab intestato* die rechten und nächsten simul appellari possunt; quia non solum ex tacita defuncti voluntate

sed

k) Hac enim ratione disponit STATUTUM HAMBURGENSE P. III. TIT. I. art. 4. in fine: Von Erbgut ist niemand vermöge dieses Stadts Rechts, ohne seiner nächsten Erben

Erlaubniß oder Bewilligung, zu testiren ermächtigt, sondern dasselbe seinen rechten Erben ungeschmälert zu lassen schuldig.

sed etiam ex sanguinis ratione succedunt. Accedit, quod, uti supra demonstravimus, liberis naturalibus et spuris respectu matris idem cognationis jus, quod legitimi liberi sibi vindicant, ex jure Civili in subsidium Hamburgi recepto, competat. Fac igitur recte Erben aequipollens esse rectissime gen Erben, neutiquam tamen hac denominatione naturales et spurii a materna successione excluduntur. Dedecus vero naturalium ipsis ob stare non posse, cum matri hereditas haud auferatur, supra (§. 14. in fine) luculenter deduximus. Certe, si in successione splendori familiae quicquam tribuendum, hincque illi, quos familiae dedecori esse quisquam putet, a successione arcendi essent: non solum naturales et spurii, sed et omnes illi excludendi forent, quos ex vita forsitan male gesta opprobria familiae dixeris. Talem vero severum legistatorem nec Jus Civile, si casus in eo expressos, quibus ut indignis hereditas auferatur, excipias, nec Statuta nostra, nec praxis quotidiana agnoscunt. Taceo, conservationem bonorum hereditariorum in eadem familia nec per Statutum nostrum semper obtineri 1).

§. 24.

1) Exemplo satis perspicuo illud ostendit Frater meus Carissimus PARRIDOM FRIDERICVS ANCKELMAN J. V. D. in dissertatione inau-

gurali: de herede ab intestato per consensum in testamentum imperfectum bona hereditaria non alienante. Goetttingae 1758. edita §. 16. in not. 1.

§. 24.

PROPOSITVR CASVS HAC DE RE HAMBVRGI
VENTILATVS VNA CVM EIVS DECI-
SIONE.

Abfolvimus, quae de naturalium et spuriorum succes-
sione in bona matris ejusque collateralium Jure Romano, Ger-
manico et Statutario Hamburgensi exponenda fuerunt. Lice-
bit nobis his coronidis loco subjungere *casum* nuperrime
HAMBVRGI ventilatum.

MARIA FOCKEN *m*) ao. 1758. testamento condito intuitu
HONORVM HEREDITARIORVM, 1250 marcarum summam non
egre-

m) Illustrationis gratia Schema genealogicum hic adjungamus.

MARIA FOCKEN, nata COLPERS XANTINA BENNING, nata COL-
testatrix † 1760. mense Nov. FERS, multo ante testatricem de-
functa.

I. HENRICVS BENNING, II. XANTINA ZAYINGS, III. MAGDALE-
heres institutus, † 1760. heres instituta † 1760. ante NA CHRISTI-
ante testatricem. te testatricem. NA BENNING

LIBERI VI. patri suo rat.
bon. acquirit. substitui, in-
tuitu heredit. vero *cohered.* ab
in *estato.*

LIBERI II. respectu bon.
heredit. *cohered.* ab *inre-*
stato.

† 1733;
CHRISTINA
HEDEWIG, filia
naturalis, nupta
GRACKEN,
Actrix.

egredientium, sororis liberos, successores ab intestato, HENRICVM BENNING et KANTINAM ZAYINGS, respectu ACQUISITORVM vero ILLVM EIVSQVE LIBEROS heredes instituit. Uterque primorum institutorum fata testatrix do. 1760. defunctae anteverit. Hereditate igitur quoad bona hereditaria ad sororis nepotes delata, SUPERSTES EX TERTIA SORORE NEPTIS, sed FILIA NATURALIS, in his bonis pro portione hereditaria succedere gestit. Contradicunt reliqui heredes. Lis defertur ad SENATVM HAMBVRGENSEM.

Præter argumenta ab utraque parte agitata, et a nobis SECT. I. et III. *hujus* CAPITIS allata, quæ hic repetere non lubet, *Actricis* maritus præsertim urgebat: Reos successionis ab intestato, quæ nepti naturali competeret, jura ante aliquot annos tacite agnovisse, *avi* nimirum *materni* hereditatis partem ipsi concedentes. *Rei* e contrario hoc potissimum nitebantur fundamento: *Actricem a defuncta* tacite ab omni successione *exclusam* esse, quæ haud illam sed sororis suæ liberos tantum heredes instituisse. Ad argumentum vero, a successione *avi materni* desumptum, respondebant, se ipsi tantum hereditatis illius partem, jam dudum a matre sua acquisitam, et in illam, qua filiam naturalem, translata, solvissent, nullo autem modo ipsam ad *avi materni* hereditatem admisisse. *Replicabat actricis maritus*: præsentis casu haud inquirendum esse, utrum testatrix ipsi bona hereditaria relinquere voluisset, sed potius perpendendum, an ob Statuti,

de bonis hereditariis pro lubitu disponendi, inhibitionem, ipsam ab iisdem bonis hereditariis excludere debuisset. Finito certamine AMPLISSIMVS SENATVS HAMBVRGENSIS die VIII. Octob. 1762. ita pronunciavit:

E. R. Rath erkennet auf vorhin genommenen Schluß der Acten zu Recht: daß Beklagte an Klägern den aus der Fockenschen Verlassenschaft seiner Frau von 1250 Mark Banco Erbgeldern zukommenden gten Theil innerhalb 14 Tagen cum interesse a tempore litis motae auszukehren schuldig, die Unkosten aber gegen einander aufzuheben und zu compensiren seyn. **V. R. W.**

Haecque sententia, nullo interposito remedio, in rem abiit judicatam.

ERRATA.

pag. 4. nota g) linea 6. effectibus lege effectibus.

— 7. not. e) lin. 2. c. 2. lege c. 1.

— 15. not. o) §. 4. lege §. 6.

pag. 32. lin. 3. ipso lege ipsos.

— 39. lin. 3. reliquos lege reliquas.

— 41. lin. 1. Statua lege Statuta.

— 48. lin. 12. Jure lege Juris.




ULB Halle
004 327 837


3



f
56







Fr. 48. Num. 26.
1754, / 14

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
SVCCESIONE AB INTESTATO
LIBERORVM NATVRALIVM ET SPVRIORVM
IN BONA MATRIS EIVSQVE COLLATERALIVM
IVRI STATVTARIO HAMBVRGENSI
NON ADVERSANTE

QVAM
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GEORGIO III

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGE
DEFENSORE FIDEI
BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCE
S. R. I. ARCHITHESAVRARIO ET ELECTORE
RECTORE GEORGIAE AVGVSTAE MAGNIFICENTISSIMO

INCLYTI ORDINIS IVRIDICI AVCTORITATE
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES RITE
CAPESSENDI

PVBLYCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
GEORGIVS ANCKELMAN
HAMBVRGENSIS

A. D. III. MARTII MDCCLXIV.

GOETTINGAE
EX OFFICINA POCKWITZ-BARMEIERIANA.

